


INSTITUT FÜR
HISTORISCHES RECHT

12





2



CALENDARIUM

BENEDICTIVUM

Id est

SENTENTIÆ SELE-

CTÆ

EX LIBRIS

Venerabilis Patris

D. LUDOVICI BLOSII,

Monasterij Lætiensis, Ord.

S. Benedicti in Hannonia

ABBATIS,

COLLECTÆ



pro singulis totius anni
diebus

DISTRIBUTÆ,

Cum Facultate Superiorum.

SALISBURGI,

Typis JOANNIS BAPTISTÆ

MAYR, Typographi Au-

lici & Academici,

1664.



R

F
C
ri

A

A

C
S

U

LIBRARIUM
MEDICINARUM

IN
SALINA

IN
SALINA

IN
SALINA

IN
SALINA

IN
SALINA

IN
SALINA

IN
SALINA

IN
SALINA

IN
SALINA



REVERENDISSIMO

NOBILI ET AMPLISSIMO

DOMINO DOMINO

PHILIPPO,

Celeberrimi Monaste-

rij ad S. Paulum in Carinthia

inferioris Vallis La-

vantinae

A B B A T I

DIGNISSIMO ET

VIGILANTISSIMO:

Archidiacono ad S. Laurentium

in Eremo & in Möchling:

N E C N O N

Provinciae Carinthiae Majoris

CONSILII DEPUTATO.

Sac. Cæs. Majest. Celsissimi &

Reverendis. Principis & Archi-

Episc. Salisburgensis,

CONSILIARIO, &c.

Universitatis Benedictinae ibi-

dem Assistenti Meritissimo.

Domino, Domino suo gratiosissimo



REVERENDISSIME
AC AMPLISSIME
DOMINE,

Libellus, quem nunc manibus
tenes, serenâque fronte per-
legis, REVERENDISSIME
ANTISTES, etsi mole sua
perexiguus ac pusillus sit, ma-
gnum tamen ac pene gigante-
um esse, vel inde conjicere li-
cet, quod summam totius Asce-
seos perfectionem felici com-
pendio contineat Blossianorumq;
monumentorum medullam le-
geris

DEDICATIO.

gentibus offerat, & succum propinet. Quin omne ejus encomium verbo absolvero, si Sententias has ex meditullio Celeberrimi Abbatis Letiensis Operum excerptas dixero: Quis enim quantusque fuerit Blosius, non modò antiquissimus Divi Benedicti Ordo, sed immortalia omnium ferè Scriptorum ævi nostri loquuntur monumenta. Porro, PRÆSUL REVERENDISSIME, cum TE & sanctissimi Instituti Tui Studiosissimum & Blosij amatissimum non ignorem, TIBI præ alijs Sententias hasce sele-

* 3

ctas

DEDICATIO.

Etas in novi anni felicissima
auspicia dedicare placuit; Tu
enim illa, quæ Sententiæ istæ
literis demonstrant, exemplis
consignas; quæ ensu comple-
tuntur, opere exequeris:
Quidquid denique spiritus in se
continent, in TE tanquam ab-
solutissimo Prototypo videre li-
cet & admirari.

Accedit, quòd Opusculum
istud præ multis aliis Tuum
videbatur Patrocinium ambi-
re, quia in Alma hac Universi-
tate Salisburgensi in formam
istam redactum, & luci primò
commissum, cuius Tu, uti Me-
ritif-

DEDICATIO.

ritissimus Assistent, indefes-
susque fame ejus Propagator
existis; Ita hoc in debitum, &
erga Celeberrimam istam V-
niversitatem, & Reverendis-
simam Tuam Paternitatem,
observantia & submissionis ar-
gumentum inscribere non du-
bitavi.

Suscipe ergo PRÆSUL
AMPLISSIME, hoc quale-
cunque obsequij mei Monu-
mentum, illudque benigno vul-
tu tanquam Tuo Nomini ere-
ctum respice, atque me gratioso
imposterum favore persequi
non desiste, utpote qui TIBI toe

* 4

adhuc

DEDICATIO.

*adhuc felicia annorum auspici-
cia apprecor, quot TIBI p̄
omnes exoptant: Imo Tu ipse
TIBI expetis & apprecaris.*

REVERENDISSIMÆ AM-
PLITUDINIS TUÆ

Servus humillimus

JOANN: BAPTISTA
MAYR.



AD LECTOREM.

Parvulum hoc Opusculum ne parvis facias aut despicias, benevole Lector, hanc fortè ob causam, quia jam plura similia typis vulgata habentur. Cogita illud tritum: Varietas delectat. Præter delectationem capies & utilitatem, si opportunè uti velis. In singulos totius anni dies habes sententiã, quæ vel abducat à malo, vel stimulet ad bonum, vel excitet ad meliora, aut quoquo modo spiritûs profectum promoveat. Experientia docebit te plura. Imò si singulis per diem horis ruminare velis sententiam cuilibet horæ accommodã, non malè facies: quem in finem ulti-

* 5

mò

AD LECTOREM.

Imò adjunctum invenies paradigma-
te instruens, quibus potissimum sen-
tentijs pro singulis horis, singulisq; ex-
ercitijs per diem occurrentibus uti
possis. Adjunctus est etiam Indiculus
secundum Alphabetum complectens
omnes sententias, unde statim inveni-
re potes unam vel plures sententias
tibi pro hac vel illa occasione servien-
tes non tantum pro tua, sed etiam
proximi utilitate, plurimæ enim sunt
sententiæ, quæ serviunt pro pæ-
nitente in Confessionali instruendo,
pro infirmo & agonizante, conso-
lando & erigendo ad patientiæ resi-
gnationem &c. Imò etiam Concio-
ratori prodesse possunt, nam talis tan-
tusq; Vir est Blossius, ex cuius scriptis
hæ sunt selectæ sententiæ, ut verba
ipsius fermè talem auctoritatem ac
fidem habeant, qualem habent verba
ali-

AD LECTOREM.

alicujus ex antiquioribus Patribus
& Doctoribus. Ne autem hoc per
Hyperbolen dictum esse existimes, Le-
ctor, placuit plura subjungere, quæ
scripta Venerabilis Ludovici Blossij
plurimum commendant.

Inprimis Scripta Blossij egregie
commendat hoc ipsum, quod varijs
variarum gentium linguis, Germani-
câ, videlicet, Belgicâ, Hispanicâ, Ita-
licâ, Gallicâ, Anglicâ, & quidem
sepius typis vulgata sint. Neq; in-
tra Europam fervor hic Opera Blossij
habendi & legendi stetit. In ipsas
Indiarum Provincias navigavit, in
quas frequentissima Blossianorum o-
perum exemplaria transmissa sunt,
nunquam tamen tot, ut ardentissi-
mam fidelium devotionem satiarent,
ut testatur ex Benedictini Ordinis
Hispaniensi Congregatione Vir qui-
dam Venerabilis.

Secundus.

AD LECTOREM.

Secundo ipsa Blosij Opera commen-
dat frequentissimus eorundem apud
pios & salutis ac perfectionis curam
habentes usus. Congregatio Hispanica
Ord. S. Benedicti Opera Blosij in tan-
to pretio habet, ut perpetuo more ex
Definitionibus, & Ordinationibus
Visitatorum decretum fuerit, ea ferè
semper legi oportere in Refectorio ad
Canam post Lectionem Scripturae, &
ad Collationem regularem ante Com-
pletorium. Particulari verò statuto
à Generali Capitulo præscriptum fu-
it, ut privatim quilibet Monachus
pro spirituali animæ pabulo teneatur
Blosium servare in cella. Quem mo-
rem etiam Anglicana ejusdem Ord.
Congregatio inviolabiliter retinet;
& ex parte Societas IESV observat,
ipsius enim institutis receptum &
præscriptum est, ut Magister Noviti-
orum

AD LECTOREM.

orum, qui Tyronibus lac spirituale
dare debet, Blossij Opera legat, & le-
gi ab alijs curet.

Tertiò plurimam commendationem
Opera Blossij accipiunt à pluribus o-
mnium propè Ordinum Authori-
bus, qui vel in ascetica doctrina, vel
in Mystica Theologia post Blossium
scribendo claruerunt. Tilmannus
Bredenbachius vocat eum doctissi-
mum & pietissimum Abbatem.
Ioann. Molanus multà pietate & e-
ruditione celebrem. Alphonsus Ro-
dericius appellat peritissimum rerum
spiritualium Magistrum. Arnoldus
Wion virum sanctitatis eximia &
doctrina rare. Franciscus Arias plu-
ribus elogijs ornat Blossium, nominan-
do eum religiosissimum juxta & pi-
issimum Abbatem, gravissimum,
atq; non minus eruditione, quàm spi-
ritu-

AD LECTOREM.

ritualium rerum experientiâ summum virum, & religiosum & sapientem. Ab Auberto Mireo vocatur vir innocentissimæ vitæ; à Petro Morale admodum spiritualis; à Ioann. Bapt. Lezana pius Auctor. Cornelius à Lapide appellat eum virum doctum & sanctum, item egregiè piûm equè ac doctum. Thomas à IESV piûssimum virum. Iulius Nigronius Magistrum spiritualem eximium. Ioannes Michael devotissimum Abbatem vocat. A Carolo Scribanio Blossius appellatur novus Elias, ab Antonio Balinghem magnus Abbas, à Carolo Hertsentio vir maxime pietatis & eruditionis, ab Antonio Sucquet nominatur peritissimus cultûs B. MARIÆ, ab Alexio de Salo Abbas devotissimus, & optimè versatus in vita spirituali.

AD LECTOREM.


li, magnæq; authoritatis & fidei inter spirituales. Iacobus Alvarez vocat Blossium virum sanè piissimum. Ioannes de Castaniza Abbatem in rebus spiritualibus nulli hoc seculo nostro secundum. Adrianus Mangot magnum Virum, & de Ecclesia totâ optimè meritum. Ioann Bourghesius clarissimum Belgij nostri lumen appellat, cuius scripta ipsa pietas elucubrâsse videtur.

Vides, Lector, quantus sit apud Authores Blossius opere & sermone, vitâ & scriptis: quod ipsum fortè incitabit te, selectas has ex ipsius scriptis sententias estimare, amare, & ad usum tibi applicare. Subinde in una, alterâve sententia unum aut alterum verbum est additum, aut demptum, ut sensus fieret planior. Citatur autem non ipsum opusculum, in
quo

AD LECTOREM.

quo sententia habetur, sed pagina so-
lùm juxta Editionem Antuerpien-
sem in fol. Anno 1632. quo anno
Opera Blosij curâ & studio R. D.
Antonij de Wvinghe Abbatis &
Monachorum Letiensis Monasterij
aucta, ornata, & illustrata fuerunt.
Vale & fruere.

* * *



JANUARIUS.

I.

OMnia adversa amanter sus-
cipe, tanquam pretiosissi-
ma Xenia tibi à DEO transmissa,
qui nullam unquam afflictio-
nem, quantumvis exiguam,
accidere permittit, sine exi-
mio commodo ejus, qui illam
sustinet, si patiens fuerit. pag.
10.

2. DEUS ubique te intuetur,
& etiam abditissima intentio-
num, affectionumque tuarum
perfectè cognoscit. Adeò tibi
præsens est, adeò intra te est, ut
ne digitum quidem sine eo
moveas. Hoc prorsus persua-
sum habe, hoc crede, & præ-

A sen-

Jo-
en-
mo
D.
Et
erij
nt.



JANUARIUS.

sentiam illius ama, ac reverere, erubescens aliquid admittere, quod oculis tam excelsi, tamque intimi spectatoris displiceat. p. 22.

3. Væ homini illi, qui DEUM non amat. Nunquam enim verè securus, nunquam verè tranquillus est: vitijs servit, vanitatem sequitur. Deniq; non vivit, sed manet in morte, mortuus est, nihil est. p. 15.

4. Verè tristis hiems est hæc vita, quam corruptionis propriæ torpor constringit, quam ignorantix caligo obnubilat, quam tot molestiarum, tot laborum, tot ærumnarum imbres irruentes quotidie atterunt. p. 32.

5. Agnosce te servum esse inutilem, indignumque omni
fb-

JANUARIUS.

Solatio & gratiâ, ut quanto magis proficis, tanto magis humiliaris. Sola enim humilitas efficiet, ut bona, quæ in te sunt, integra in te permaneant. p. 25.

6. Nullum aliud beneficium præstitit DEUS majus illo, quod contulit, quando pro nobis homo fieri, patique voluit: quare omnino æquum est, ut ipsam dispensationem nostræ redemptionis frequentissimè animo pertractemus, & pro illa sedulo gratias agamus. p. 19.

7. Pudeat creaturam repugnare, & nolle acquiescere, ubi contemplatur Creatorem esse obedientem. Pudeat discipulum animo intumescere, atque erigi, ubi videt Magistrum esse humilem. Quanto quis humilior existit, tanto DEO vicini-

JANUARIUS.

or, & in perfectione Evangelica excellentior est. p. 9.

8. DEUS est omnipotens, pari facilitate innumeras peccatorum myriades in momento remittit, sicut unum peccatum. Est & benignissimus, omnino vult tibi parcere, vult esse propitius, si vis humiliari, si vis à peccatis abstinere, vitamque corrigere. p. 4.

9. Oratio impenetrabilis est armatura, certum perfugium, certus portus, tutissimumque asylum. Hæc una & mala omnia depellit ab anima, & bona omnia in illam invehit. Precando impetrabis, quidquid utile tibi fuerit. p. 16.

10. Comprehendi non potest, quantâ charitate DEUS ubique nostram salutem desideret

JANUARIUS.

ret ac procuret. Nulla unquam
Mater tam tenerè dilexit filium
uteri sui, quàm tenerè ille nos
diligit. p. 5.

11. Quemadmodum opus,
quod ex se grande ac magni
momenti videtur, DEO prorsus
displicet, si operantis intentio
impura fuerit; ita opus, quod
ex se frigidum, nulliùsque mo-
menti judicatur, Domino plu-
rimùm placet, si operantis in-
tentio fuerit recta. p. 28.

12. Quidquid præter DEUM
quæritur, mentem occupat,
non fatiat. Solus DEUS exple-
bit desiderium tuum: in solo
DEO veram requiem invenies.
Ipsè est unum illud necessari-
um, & summum illud bonum,
in quo omnium eorum, quæ
pulchra sunt, quæque dele-
ctant,

JANUARIUS.

Etant, plenitudo & perfectio
consistit. p. 15.

13. Utinam ad tantam ani-
mi depressionem pervenisses,
ut non solum cuivis homini,
sed & cuivis creaturæ te sub-
mitteres, iudicans indignum,
qui lumen videas, & quem ter-
ra sustineat, dignum vero, in
quo omnia injuriam sui Con-
ditoris ulciscantur. p. 9.

14. Si aliquamdiu lectioni
vaces, & ante fastidium eâ in-
termisâ ad orationem vel me-
ditationem te transferas, rur-
sumque labore precandi non-
dum prægravatus, lectionis ex-
ercitium repetas, & opportune
scriptionem, aut aliam exter-
nam operationem intermisce-
as, poteris & viribus integer &
mente alacer permanere. p. 15.

15. Ex-

JANUARIUS.

15. Eximia virtus, eximia
planè virtus obedientia est:
contra nolle acquiescere, gra-
vissimum omninò scelus est.
Vili quopiam opere per obedi-
entiam fideliter peracto, non-
nunquam magis proficies in
vitæ perfectione, quàm subli-
mibus exercitijs ex propria e-
lectione susceptis. p. 25.

16. Si tu teipsum, tuâque
negotia in providentiam Dei
fideliter projeceris, & ei per
humilem inconcussamque fi-
duciam innixus fueris, credens
illum & posse & velle tibi opi-
tulari, melius habebunt om-
nia, quàm si die ac nocte solli-
citus & anxius vires tuas om-
nes consumeres. p. 226.

17. Sathaniam impia vel fæ-
da suggerentem contemne,

JANUARIUS.

opponere salutiferum Domini-
cæ Crucis signum, & cogitati-
onem tuam à pestilenti sugge-
stione avertens pium aliquid a-
pud te pertracta. Indignum e-
xistima illum, cui obgannienti
respondeas. p. 7.

18. Homo DEUM magis in-
honorare nequit, nec majorem
illi irrogare injuriam, quam si
ob multitudinem aut gravita-
tem criminum luorum despe-
ret de ejus misericordia, quæ u-
tique infinitò major est, quam
sint, aut esse possint omnia to-
tius mundi peccata. p. 224.

19. DEUM misericordissimo
benignissimoque oculo intueri
ea, quæ creavit, persuasum ha-
be, qui etiam ita tibi intendit,
tui curam ita jugiter habet,
quasi tu solus in toto terrarum
orbe viveres. p. 5. 20. O-

JANUARIUS.

20. Omnino dabit Deus id, quod petis orando; si expedit, ut accipias: si verò illud non conducit, dabit aliud, quod conducat. Novit quando, novit quatenus tuæ petitioni satisfacere debeat. Dum ex infirmitate humana postulas, quæ utilia non sunt, absit ut donet, quæ petis. p. 17.

21. Relinque multa, & amplectere unum, nam unum est tibi necessarium. Unus est, qui ineffabiliter te amat; unus sit, quem tu quoque singulariter diligas. p. 21.

22. In laqueum periculosum se injiciunt, qui ipsa Dei judicia temerè perscrutari audent. Certum est, ea quæ facit, quæ ordinat, quæ permittit Dominus, esse justa, hoc tu crede,

A S

hic

JANUARIUS.

Hic siste, nihil ultra perqui-
rens. p. 7.

23. Scito, & memoriæ com-
menda pro tui consolatione,
quòd quamdiu verè cupis &
conaris benè agere, ac placere
DEO, & voluntatem tuam ab il-
lo non avertis, sæpiusque doles
atque ingemiscis propter im-
perfectionem tuam, multipli-
césque defectus tuos, ipse DEUS
haud dubiè pro ineffabili boni-
tate & charitate sua reputat e-
xercitia atque opera tua digna
æternâ remuneratione. p. 227.

24. Adeò fidelis est Domi-
minus DEUS noster, ut sæpenu-
merò hominem bonæ volun-
tatis in notabili aliquo defectu
toto vitæ illius spatio relinquat,
ut is inde non modò in seipso,
sed etiam in oculis eorum, qui-
bus

JANUARIUS.

buscum vivit, humilietur, & per hujusmodi defectum ad proprij nihili sui agnitionem deducatur. p. 275.

25. Quanto plura, quanto graviora sunt ipsa peccata, quæ condonat Deus, & quanto indigniores, miserabiliorésq; sumus nos, quibus ignoscit, tantò gloria ejus magis elucescit. p. 5.

26. Nunquam putet homo aliquem sibi injustè molestum esse, sed in omni tribulatione suas iniquitates, suamque erga Deum ingratitude[m] memoriã repetens, credat se graviora commeruisse, quàm sint ea, quæ patitur, justumque esse, ut omnes creaturæ se premant, & tamquam lutum platearum conculcent. p. 302.

27. Si infirmitatis propriæ

A. G.

ob-

JANUARIUS.

oblitus vel lectioni vel precati-
oni diutiùs quàm oportet, aut
etiam usque ad nauseam con-
tinenter incumbere volueris,
eris nimirum totus segnis &
inutilis, tædebitque te ad il-
lud exercitium, quo jam plùs
quàm satures, iterum redire.
p. 15.

28. Tantus thesaurus est bo-
na voluntas, ut totus mundus ei
æquiparari non possit. Quando
vis quidem, & desideras aliquid
boni perficere, sed non potes,
istiufmodi sancta voluntas tan-
quam ipsum opus à DEO susci-
pitur. Si verò operari potes, &
non operaris, jam nec volunta-
tem quidem operandi habes.
p. 31.

29. Quando Sathanas im-
pia vel fæda suggerit, DEO
dici-

JANUARIUS.


dicito : Domine adjuva me, ego enim malim millies mortem subire, quàm iniquitati consentire, malim hîc non vivere, quàm Te offenso, tuâque gratiâ perditâ malè vivere. p. 7.

30. Anima, quæ fidelis ancilla vel pudica sponsa Christi appellari meretur, non in DEI donis sed in DEO quiescit. Sive DEUS ei infundat, sive non infundat internam suavitatem, tranquilla permanet, hilariter suo Sponso famulatur, fideliter ei adhæret, constanter eum diligit. p. 24.

31. His, qui in cœlesti, perennique gloriâ degunt, divina voluntas tam amabilis, grata & suavis est, ut si ipse supremus Spiritus Angelicus nosset DEUM velle, seu ad honorem ac lau-

JANUARIUS.

dem DEI cedere, ut urticas vel
alia zizania extirparet, hoc præ
omnibus cupidissimè exequere-
retur. p. 234.



FEBRUARIUS.

I.

Tanta, ô homo, est ani-
mæ tuæ dignitas, & tan-
tus decor, ut Unigenitus DEI
Filius, præ natis hominum for-
mâ speciosus, amore ejus ar-
dens acerbissimos cruciatus
perpeti, & ignominiosam mor-
tem subire non recusaverit,
quò illam à morte perpetuâ re-
dimeret, & verâ libertate dona-
tam ad cæleste regnum redu-
ceret. p. 261.

2. Ad beatam MARIAM Vir-
ginem DEIPARAM frequenter te-

COR.

FEBRUARIUS.

converte, eam invoca, eam dilige, eam lauda: omnium enim præcenijs dignissima est, & quantumcunque prædicetur, omnem comendationem semper superat. p. 18.

3. Si benè vivis, si à peccatis sedulò abstines, si tempus utiliter expendis, si te in conspectu Domini verè humilias, DEUM & cælestem patriam suspiras, semper precaris; sancta enim vita, sanctumque desiderium coram DEO assidua oratio est. p. 23,

4. Sicut DEUM nimis diligere non potes, ita & eidem nimis confidere non potes, modo tua intentio sit sincera, & tu, quod in te est, præstare non negligas. Quanto ista fiducia fuerit plenior atque humilior,

FEBRUARIUS.

milior, tantò etiam erit DEO ac-
ceptior, & ad impetrandum ef-
ficacior. p. 226.

5. Creavit DEUS voluntatem
nostram, non ut propriè nostra
sit, sed ipsius, qui eam creavit.
Quare quisquis suam volunta-
tem servat, possidétque ut pro-
prium, is DEO surripit, quod ju-
re illius solius esse deberet. p.
234.

6. Res lamétatione digna est,
tot corda sancto amori aptissi-
ma, tot præclaras ac formosas,
DEIQ; imagine insignitas ani-
mas, quæ ex spirituali conju-
gio cum DEO inito, Reginae &
Imperatrices effici, cœloque &
terræ dominari possent, stolidè
se à DEO abalienare, & in ma-
ximam vilitatem abjicere, ac
sua sponte perire. p. 262.

7. Omnis

FEBRUARIUS.

7. Omnis virtus ac bona omnia ex voluntate dependent, Si virtus aliqua vel bonum spirituale per mille abesset milliaria, & ego hoc perfectâ voluntate habere vellem, magis illud propriè meum esset, quàm quæ sinu inclusa tenerem, nec tamen habere vellem. p. 281.

8. Quamvis gravem immortificationem in se sentiat homo, quamvis frequentissimè labatur ac deficiat, quamvis multis annis adversus semetipsum pugnare debeat, non desperet, neque perturbetur, nam qui artem aliquam discit, diu laborare debet, priusquam eam exactè calleat. p. 361.

9. Omnes homines (nullo prorsus excepto) sincerè quisque diligat sicut seipsum: hoc est

FEBRUARIUS

est, spiritualiter & ordinate eos diligat, optando eis gratiam DEI, & felicitatem æternam. Ut autem paratiorem se inveniat ad verè amandum proximum, existimet, quemlibet hominem divinæ gratiæ capacem, esse seipsum. p. 302.

10. Quando tale aliquid desideras à DEO, quod utrum illi placeat, ignoras, hoc aut consimili modo orare disce: Domine, si tibi placet, si expedit, ut id fiat, fiat: Si verò non tibi placet, si non expedit, non fiat. Fiat in omnibus tua sancta voluntas. p. 17.

11. Etiam si millies intra unius horulæ spatium lapsus fueris, toties cum sancta veniæ spe resurge, quoties cadis, & resurgens gratias age ipsi Domi-

FEBRUARIUS.

no, quòd te vel gravius corrue-
re, vel in ruina diutius jacere
non permiserit. p. 4.

12. Persuadeat sibi homo,
quod vult, vertat se, quò vult,
non poterit proficere, nisi per
indefessum conatum, vitijs re-
bùsque omnibus emori stude-
at: nam in vera mortificatio-
ne atque resignatione verissi-
ma jucundissimàque vita la-
tet. p. 361.

13. Sincerus & sublimis a-
mor DEI in hoc consistit, ut si-
ve cum dulcedine, sive sine
dulcedine, velimus, cupia-
mùsque vel gaudeamus DEUM
esse, quod est, ac tantam glori-
am, tantum dominium, tan-
tam opulentiam obtinere,
quantam obtinet: desideran-
tes etiam, ut omnes ei ritè ser-
viant.

FEBRUARIUS.

viant, eumque diligant, ac glorificent, qui est omni honore, amore & obsequio dignissimus. p. 231.

14. Mane cum Domino tuo, ne recesseris à Magistro tuo: neque enim benè tibi esse poterit, si DEUM tuum deserueris, neque rursum malè, si apud eum permanseris. p. 21.

15. Si desunt exteriores lachrymæ, ne desint interiores: sine illis potes peccata tua plangere, sine his non potes. Non autem cares interioribus lachrymis, quando ex animo tibi displicet DEI offensio, quando mente prorsus aversaris vitia, quando DEUM magno affectu quæris, & ad eum suspiras. p. 6.

16. Cum difficile sit, certò scire

FEBRUARIUS.

scire semper, quænam desideria sint à DEO, homo etiam in illis, quæ se rectè desiderare putat, resignatus esse debet, & DEO dicere; Domine fiat, non quod ego volo, sed quod tu vis, & quod honori tuo magis congruit. p. 556.

17. Palam erit, te DEUM verè diligere, si nihil terrenum, nec etiam te ipsum inordinate amaveris, & nulli rei caducæ, nulli mortali creaturæ per vitiosum affectum adhæseris, si in omnibus, quæ agis vel omittis, laudem gloriâque DEI pure quæseris, si voluntatem tuam voluntati divinæ sedulo subjeceris, & quælibet adversa de manu Domini humiliter susceperis. p. 643.

18. Precatio exterior, quæ
ore

FEbruARIUS.

ore tantum funditur, veluti palea est: nam interna oratio, quæ funditur mente, ipsum granum est. Illa quæ & mente funditur, & ore profertur, Deo multum grata est. Nulla præstantior oratio est, quam ut quis petat gratissimam Dei voluntatem in se, & in omnibus alijs fieri. p. 311.

19. Quotiescunque aliquid piè meditaris aut legis de vita seu passione Domini Jesu, sanctificaris inde, & ingentem fructum reportas, etiamsi parvo admodum affectu, & sine ullo sapore sensibili mediteris ac legas. p. 201.

20. Fiducia in Deum vix quodammodo insert Deo, cujus nimirum tanta honestas, benignitas, ac charitas est, ut
nulla

FEBRUARIUS.

Nulla ratione deserere possit illum, qui ex animo ei confidit, & in eo sperat. p. 226.

21. Fasciculus stupparum in ingentem ignem missus, non ita repente incenditur, quam repente Deus peccatis nostris propter ineffabilem pietatem & misericordiam suam ignoscit, dum verè nos poenitet vitæ malè actæ. p. 5.

22. Si mox non obtines, quod postulas orando, vide ne perturbetur: Deus enim sua pietate nonnunquam differt largiri ea, quæ sanctè petuntur; non quòd negare velit, sed ut cumulatiùs & utiliùs postea tribuat; utque fidem, longanimitatem, ac perseverantiam postulantis eximie coronet. p. 17.

23. Quidquid suave, quidquid

FEBRUARIUS.

quid iucundum, quidquid amabile, quidquid admirabile sensibus offert, id castè excipe, & ad DEUM, vel ad æternæ beatitudinis statum referre discere, sic enim delectaberis in Domino. p. 26.

24. Antequam inchoes opus, quod aggredi vis, conjice vel erige primùm interiorum aspectum in DEUM; & ubi senseris, te ideo illud velle agere, quia DEUS vult & gratum habet, tunc demum opus incipe, paratus id non agere, si scires, DEO non placere. p. 228.

25. Pater tuus cælestis ex indicibili charitate sua nocte dièq; perpetuo tibi intendit, & ita pro te sollicitus est, adeoque tui curam gerit, ac si nulla alia vel in cælis, vel in terra creatura

FEBRUARIUS

tura superesset; ipse tot, tantis-
que beneficijs omni temporis
momento te prævenit ac pro-
sequitur, ut vel exiguam eo-
rum partem satis agnoscere ne-
queas. p. 263.

26. Anima rationalis tan-
tam habet cum DEO (à quo
profluxit) similitudinē, ut ejus
excellentiā nulla creatura,
ne ipsa quidem creaturarum o-
mnium præcellentissima Virgo
DEIPARA MARIA capere possit.
Anima autem abjectissimi
mendici secundū dignitatem
creationis non est inferior ani-
mā honoratissimi Principis. p.
310.

27. Cū Dominus DEUS
tuus sit peritissimus Medicus,
urit, secat, amarāsque potiones
tibi offert, ut te sanet. Hoc sci-

B

ens,

FEBRUARIUS.

ens, sustine patienter, quidquid
te gravat, perfer omnem affli-
ctionem ob honorem amo-
rémque DEI, in remissionem
peccatorum tuorum. p. 555.

28. Devotio rationalis est,
quando quis quodlibet pecca-
tum odit & execratur, promp-
tâque voluntate DEUM colit,
& ea, quæ DEO placere cogno-
verit, strenuè amplectitur atq;
peragit. Si hanc devotionem
habes, nihil decedet mercedi
eujus, etiamsi sensibilem devo-
tionem non habeas. p. 24.



MARTIUS.

Y.

Quod si libet aliquid dice-
re, quando Sathanas im-
pia vel fœda suggerit, dicit o-
mnia. Aud,

MARTIUS.

Stud, aut simile quidpiam: ob-
mutefce os impudens, abi sce-
leste cum tua impietate, tuâq;
spurcitia: ego te non audio,
nihil mihi tecum, ô infelix.

p. 7.

2. Dominus noster JESUS
Christus non vult nos gratis &
absque fructu aliqua perpeti.
Si enim pro honore ipsius quid-
piam sustinemus, non solum
copiosum nobis pro adversita-
tum tolerantia parabit præmi-
um, sed omnem quoque suæ
passionis fructum nobis largie-
tur. p. 269.

3. Per voluntatem possum
omnia: per hanc omnium la-
bores sustinere, cunctos alere
inopes, omnia omnium opera
bona exequi, & quidquid de-
mum boni cogitari potest, fa-

B 2

cere

MARTIUS.

cere queo. Si enim hæc perfectè volo, & sola deficit exequendi facultas (libenter autem si possem, facerem, & quantum possum in his facere non omitto) nimirum omnia coram DEO fecisse iudicabor. p. 281.

4. Omnino debemus permittere, ut DEUS in nobis operetur, ac nobis donet, quidquid vult, quando vult, & sicut vult. Debemus permittere, ut nos deducat per umbram mortis & tenebras inferni. Absurdum valdè est, quotidie in Oratione Dominica dicere Domino DEO: FIAT VOLUNTAS TUA; & tamen perturbari vel indignari, quando illa fit. p. 311.

5. Obedientia humilitatis prima filia reddit hominem apertum

MARTIUS.

¶ um ad quamlibet gratiam sus-
cipiendam, atque ad cælum via
tutissima est. Qui obedire non-
vult in his, in quibus obedire
debet, & audax, ferox, atque
contumax est in Præpositos su-
os, is inimicissimus DEO est.
p. 556.

6. Pater tuus cælestis liber-
rimam ad se accedendi copi-
am tibi præbet, ita ut quoties
libet, eum alloquaris, cunctaq;
cordis tui secreta, & omnes mi-
serias tuas illi securissimè pan-
das, atque in ipso pace fruaris
& gaudio. Qui licet præstan-
tissimum sit bonum, multò ta-
men citius, faciliusque vel solo
pio desiderio à te obtineri po-
test, quàm quælibet alia res eti-
am vilissima. p. 263.

7. Diligamus DEUM non
B 3 po-

MARTIUS.

potissimum propter illa, quæ ab eo recipimus vel expectamus, sed propter ipsummet, qui est infinite amabilis. Constituamus nobis pro fine laborum nostrorum ac requie nostra gloriam ejus, & illam pluris faciamus ac magis amemus quam nostram, ipsamque habeamus pro nostra propria. p. 231.

8. Oratio animam purgat, poenam peccatis debitam submovet, præteritas negligentias sarcit, divinam gratiam impetrat, pravas concupiscentias extinguit, effrænatas animi passiones domat, hostes prostermit, tentationes superat, calamitates lenit, mœrorem fugat, lætitiâ infundit, pacem conciliat. p. 16.

2. Etiam si pietate ductus
ser-

MARTIUS.

cervicem tantum inclinaveris
ante Crucifixi Jesu imaginem,
vel ad altare DEI Genitricis
MARIAE osculos obtuleris, aut
pedem moveris propter chari-
tatem, non frustraberis à spe ju-
stæ mercedis. p. 28.

10. Infirmior quisque bonæ
voluntate præditus, dum ali-
um magna quædam & ardua
operari cernit, gratias agat DEO
quod hanc illi gratiam & vir-
tutem dederit, ut vitam auste-
ram ducere possit. Seipsum
coram DEO humiliet, & vel in
alijs colere atq; amare satagat,
quod se minimè sentit habere
vel posse. p. 281.

11. In mellifluis vulneribus
benignissimi Jesu homo con-
tinuò commoretur & requies-
cat. Vel unica humilis atque

MARTIUS.

amorosa conversio ad dulcia
vulnera Salvatoris, ipsi Domino
gratior est, quàm sit omnis vo-
cum, sonorùmque musicorum
harmonia & suavitas. p. 209.

12. Nullo modo arbitreris
proximi tui salutem nihil ad te
pertinere: tu enim (etiamsi
non præsides) eam libenter & se-
dulò promovere debes. Offer-
igitur preces DEO pro pecca-
toribus, & cunctis prodesse co-
neris, ita enim eximiam grati-
am apud DEUM promereberis.
p. 558.

13. Illos, qui se curis atque
actibus externis nimium im-
plicant, & DEO se credere vel
nolunt, vel non audent, ipse
Dominus plerumque inopiam,
miseriamve experiri sinit, ut
sic agnoscant, quàm parùm
suâ

MARTIUS.

suâ industriâ efficere possint.
p. 316.

14. Si DEUS victus magnitudine peccati, non potest ignoscere, detrahis illi omnipotentiam. Si non vult, quod potest, mendax est, & vanus, qui nolit præstare, quod toties promisit per ora Prophetarum. p. 403.

15. DEUS inscrutabili sapientiae suae consilio sæpè negligentiarum nævos nobis inhærere permittit, ut semper humiliemur, & de nobis penitus diffisi in eo speremus, utque vitijs ipsis viriliter resistentes, utiliter exerceamur, & tandem gloriose coronemur. p. 6.

16. Sacrificium DEO gratissimum est, propriae voluntatis abnegatio. Melius est ex simplici obedientia urticas & zi-

MARTIUS.

Vanitas extirpare, quam ex propria voluntate rerum cælestium contemplationi operam dare. p. 224.

17. Vita Domini Jesu sit tibi requies inter labores, solatium inter angustias, munimentum inter tentationes, gaudium inter opprobria. Hanc diem ac noctem tamquam pretiosissimam margaritam in arca pectoris tui reconditam habe. p. 19.

18. Nihil unquam, quantumvis parvum, pro DEI honore patimur, quin nobis longe sit utilius, quam si totius mundi dominio potiremur. Quamlibet enim exiguum sit, quod ad DEI perpetuam gloriam, pro illo tamen non minus nobis DEUS retribuet, restituētque, quam seipsum. p. 209.

19. Be-

MARTIUS.

19. Beatus fané effes, si toto corde dicere posses: ó quantum bonum possideo, cum Deus meus, qui mihi magis est ego, quam ego ipse sim, adeò immensam gloriam, immensáque bona possideat, nam illum revera pro meo magis habeo, ac teneo, quam unquam quidquam habui ac tenui. p. 229.

20. Vide, quantum Rex Regum humiliaverit se pro te. Attende quam acerba Salvator tuus pertulit pro te. Perpende quantá charitate diligit te, qui tantam paupertatem, tantáque calamitatem propter te suscepit in se. p. 21.

21. Nobis quidem æternæ felicitatis & futuræ resurrectionis statum repræsentat vernum tempus, in quo nová quâdam

B. 5

gra-

MARTIUS,

gratiâ, admirabili ornatu cæ-
lum, terra, arbores ac cætera
decorantur, verumtamen inter
id, quod repræsentat, & id,
quod repræsentatur, major est
differentia, quàm inter opacæ
noctis tenebras & jubar solis
meridiani. p. 662.

22. Qui nondum afflictio-
nibus exactè à Deo probatus
est, cogitet se nondum eò pro-
movisse, ut eas perferre possit:
nam si eò promovisset, ipsi
procul dubio occasiones di-
versarum tribulationum non
deessent. Gaudet enim Divi-
nitas animam secretiùs, per-
fectiùsque sibi junctam multi-
plicibus afflictionibus tam-
quam pretiosissimis margaritis
exornare, & ita eam ad veram
Jesu Christi similitudinem per-
ducere. p. 672.

23. Be-

MARTIUS.

23. Beatus est, qui tenacis-
simam intentione summo bono
adhæret: nam tota ejus con-
versatio nihil aliud est, quam
una jugis atque purissima pre-
catio. Vera enim oratio est as-
census mentis in DEUM, etiam si
nulla verba adjungantur. p.
296.

24. Psalmodia sacra fidem
solidat, spem stabilit, charita-
tem urget, patientiam sugge-
rit, sobrietatem docet, castita-
tem imprimat, corda purificat,
conscientias tranquillat, men-
tes exhilarat, totumque inte-
riorem hominem feliciter mu-
tatum innovat, ac miram qua-
dam dulcedine perfusum re-
creat. p. 56.

25. Quid sublimius, quid
magis honorificum, quam dici

MARTIUS.

& esse Matrem DEI? Quid hac dignitate celsius? quid admirabilius? planè sic est. Nihil sub DEO cogitari potest divinius Dei Matre. p. 18.

26. Scito, quia leviora peccata efficacius in te delebuntur, si culpam agnoscens humiliter & amanter te ad Deum converteris, quam si ea morosius apud te ipsum pertractare, & in eorum consideratione diutius cum pusillanimitate occupari volueris. p. 6.

27. Quando animadvertis te quidpiam velle aut cupere ex propria voluntate, seu naturali desiderio tuum commodum quærendo, mox facito tibi ipsi vim, & voluntatem eò transfer, ut idem velis meliori modo, nempe quia idem vult,

MARTIUS.

vult, desiderat, & acceptum
habet DEUS, qui omnino obsequio
dignissimus est, & de quolibet
recto opere, quod tali intenti-
one peragis, plurimum gau-
det. p. 228.

28. Quis auderet affirmare,
nisi Propheta clarè pronuntia-
ret, miserationes Domini su-
perare reliquorum omnium il-
lius operum gloriam? Ergò est
aliquid mirabilius, quàm con-
didisse cælos cum tot siderum
luminibus, condidisse terram
cum tantâ animantium, arbo-
rum, ac rerum omnium varie-
tate, condidisse tot angelica-
rum mentium agmina. p. 403.

29. Qui Corpus Domini-
cum cum debita devotione
percipit, efficitur particeps o-
mnium honorum illorum, quæ
Christi


MARTIUS.

Christus in vita, passione ac morte suâ promeritus est, imò & illorum omnium bonorum, quæ ab Adæ temporibus unquam facta fuerunt, atque ad ultimum usque electum fient.

p. 312.

30. Afflictio tam spiritualis quam corporalis, amore Dei patienter perlata, res est admodum præclara, amabile signum electionis divinæ. Homini utilius est etiam modicum gravamen pro DEI honore sustinere, quam multa alia grandia opera patrare. p. 226.

31. Profectò multò nobis optatius esse debet, credere, sperare, & humiliter confidere DEO, ejusque providentiæ ac voluntati nos funditus resignare, quam de vita æterna certos, securósque esse. p. 234.



APRILIS.

I.

NUnquam Deus parvipendit orationem hominis bonæ voluntatis, sed eam mox in libro scribi jubet, quamlibet etiam insipida sit ei, qui illam ritè peragit. Humiliter, diligenter ac perseveranter orando impetrabis, quidquid salutis tuæ expedit. p. 227.

2. Judica teipsum omnium, quos orbis habet vilissimum; fratres autem & proximos tuos non secundum faciem, externamve speciem, sed secundum occultum DEI judicium judica optimos: nam & aliquando fortè erunt DEI gratiâ optimi, qui modò pessimi videntur esse. p. 266.

3. Si

APRILIS.

3. Si quis rectè valeret in anima, etiamsi optio ei daretur, nequaquam tamen vitiosis propensionibus, tentationibusque velle deberet absolvi: quibus enim ista desunt, ut plurimum sine sollicitudine & circumspectione sunt, nec aliquid adversum suspicantur, & coronam illam, quæ datur probè certantibus, minimè percipiunt. p. 279.

4. Solitudinem diligat homo, eamque convenienter colat. Si enim superfluâ hominum societate delectatur, si est impatiens silentij, si hæc aut illa videre incontinenter appetit, si avidè inquirat, quid dicatur aut fiat, & vanis rumoribus audiendis libenter vacat, frustra sibi vel infimum sanctioris

APRILIS.

Oris vitæ gradum promittit. p.
302.

5. O quantum cordibus nostris Dominus Deus noster dulcescere debet, qui magis diligit nos, quam ipsi diligamus, quique seipsum liberalissime nobis exhibet, impendit & offert, cum tamen propter malitiam & ingratitude[m] nostram simus eo prorsus indigni. Ipse plerumque corda nostra consolatione gratiæ suæ lætificat, licet sciat, nos post horulam peccaturos. p. 315.

6. Cogita serid, te ad hoc à Deo creatum esse, animamque ratione præditam, & immortalem accepisse; ut hîc Deo obedias, eumque ames, & ei obediendo, benèque vivendo, tandem illum in cælo clarè vide-

APRILIS.

as, atque ipso fruaris in æternum. p. 552.

7. Etiam si unus aliquis tam esset paratus & aptus veniam à DEO consequi, quam omnes unquam mortales fuerunt aut esse possunt, attamen infinito paratior est DEUS veniam dare peccatis nostris, si verè nos peccasse poeniteat. p. 271.

8. Nonne, quoties tu rerum pulchrarum species conspicias, & cælum, terram, silvas, campos, universumque mundum animo perlustras, cuncta cor tuum hujusmodi vocibus compellere videntur: pensita, quantum ille amabilis, & formosus sit, qui condidit nos, & est fons totius pulchritudinis. p. 263.

9. Acceptius obsequium ho-

APRILIS.

homo præstat DEO, quando à vano & non necessario visu, auditu, olfactu, gustu, vel tactu discretè abstinet, voluntatem suam in hujusmodi rebus purè propter DEUM mortificans, quàm si mortuos ad vitam temporariam revocaret. p. 234.

IO. Nunquam assumatis audaciam ac libertatem, quasi omnia jam certamina superassetis. Etiam si millies victores evadatis, & mille reportetis triumphos, nec sic tamen securos vos esse, vel præsumere oportet. Quousque enim caro & anima cohærent, nullus in terris securitatem sibi promittere debet. p. 276.

II. Rerum caducarum amorem pluris facere, quàm dilectionem DEI, est præferre immu-

APRILIS.

mundum stercus rosis elegantissimis, ac gemmis pretiosissimis. DEUS enim summè amabilis est, bonum jucundissimum est, in quo purissimà quadā ratione existit, quidquid pulchritudinis, excellentiæ & suavitatis in aliqua creatura invenitur. p. 262.

12. Profectò sicut ridiculum esset, si quis dici & haberi cuperet Theologus, qui nec eo studio occuparetur, nec vel aliquod ejus principium nancisci conaretur, ita absurdum est, ut se quis DEI servum existimet, aut habitet in religiosa congregatione (quæ schola est ad virtutum studium deputata) qui sanctum sui ipsius odium obtinere non procurat. p. 267.

13. Sa

APRILIS.

13. Sane si quis libenter & cum affectu foras se effundit ac fabulatur, rumusculósque mundanos percipit, si sensuum oblectamentis omninò deditus est, non poterit intus illuminari, nec ullum in veris virtutibus profectum facere, sed indies magis ac magis obtenebrabitur, rudiórque & crassior efficietur. p. 273.

14. Pete tibi à DEO ignosci non ob hoc potissimum, ut poenam evadas, aut perditam gratiam, virtutes & jus ad cælestem gloriam recuperes, sed magis ut acceptâ veniâ sis DEO grator, eumque ames, & ab eo non separeris. p. 231.

15. Si humilitatem, si charitatem, si quaslibet alias virtutes desideras, & appetis habere, atque

APRILIS.

atque id tota voluntate vis, facisque quod in te est, habes haud dubie eas. Nec potest istud quisquam subripere tibi, modò voluntas tua sit recta & DEiformis. Est autem voluntas DEiformis, quã quidquid volumus, purè ad DEI volumus gloriam. p. 281.

16. Quælibet anima rationalis (cùm sit imagine Summæ Trinitatis insignita) cælo, terrâq; incomparabiliter præstantior est. Quomodo ergò is, qui verè Christianus est, non doleret, videns perire tam elegantes & nobiles creaturas. p. 310.

17. Cave sedulò, ne Domino DEO peccando injuriam irroges. Etiam si consentiendo alieno peccato posses te ipsum & plu-

APRILIS.

& plurimos alios à morte eripere, nullo tamen modo deberes peccato consentire; nimis enim absurdum foret pro utilitate creaturarum (quæ comparatæ DEO quasi nihil sunt) scienter ac deliberatâ voluntate offendere Creatorem, qui est bonum infinitum.
p. 552.

18. Si duo homines in eodem itinere constituti elegantem flosculum offenderent, quorum alter cuperet quidem illum decerpere; sed melius deliberans diceret sibi ipsi: Dimitte eum propter DEUM; alter verò nihil præmeditatus carperet florem, iste quidem simpliciter decerpendo non peccaret, sed ille propter DEUM dimittendo florem, tantum præ
C. de-

APRILIS.

decerpente obtineret meritum,
quanta est distantia cæli à ter-
ra. p. 304.

19. Qui DEUM ferventer a-
mat, necesse est, ut eum crebrò
in memoria habeat, quemad-
modum qui acriter fitit, non
potest non recordari sitis suæ.
Ubi enim cura & amor, ibi co-
gitatio. p. 233.

20. Certò tibi persuade, ip-
sum Dominum DEUM tuum
suâ æternâ sapientiâ ac boni-
tate illos Prælatos, quos habes
in eo, quem aggressus es, statu-
tibi prædestinâsse & providisse,
ac per eos potius, quàm per al-
lios suam gratiam tibi præstare
velle. p. 66.

21. Certus omnino sis, Do-
minum DEUM tuum ex sum-
ma claritate, quâ te diligit,
mitte

APRILIS.

mittere tibi pro æterna salute
tua cunctas tribulationes &
gravamina, quibus premeris:
qui etiam usque adeo diligen-
tem & paternam tui curam ge-
rit, ut nullo modo permissurus
sit, te affigi supra vires tuas sibi
optimè perspectas. p. 226.

22. Qui relictâ propriâ vo-
luntate facit humiliter ad ho-
norem DEI voluntatem alte-
rius in re licitâ, magis DEO pla-
cet, quàm si multo tempore
corpuseulum suum pane & a-
quâ tantùm sustentaret, aspe-
risq; flagellis cruciaret ex pro-
pria voluntate. p. 234.

23. Scito, quia quidquid pi-
etatis, dulcedinis, charitatis,
gaudij & gratulationis (cujus
Deus finis est) erga fratres tuos
in te senseris, id omne esse à Spi-

APRILIS.

ritu Sancto, sicut è diverso odium, amarulentia, aversio, displicentia, detractio, invidia, contemptus, ac temerarium iudicium à maligno spiritu trahit originem. p. 266.

24. Absurda, quæ suggerere diabolus consuevit, non plaris faciat homo, quàm muscas circa se volitantes. Mox avertat se ab illis. Si vehementius, importuniùsque infestatur, signo Crucis edito, invocet DEUM & dicat: Domine, conserva me immaculatum coram te, ego mallem mori millies, quàm huic pessimæ suggestioni consentire. p. 314.

25. Is qui vult se negotijs quibuslibet inmiscere, omniàque loquaciter reprehendere & iudicare, procul abest à vera sui cogni-

APRILIS.

cognitione, veraque pectoris
pace ac puritate, & necdum
initia vitæ spiritualis attigit.
p. 559.

26. Dominus DEUS tanto
tenetur desiderio eorum om-
nium, qui ipsum sanctè co-
llunt, & sincerè amant, quasi
tota beatitudo, atque essentia
ejus ex illis penderet. Si cum
charitate, quâ te diligit DEUS,
conferatur amor, quem omnes
unquam parentes habuerunt,
habent, & habebunt erga filios
suos, erit velut aquæ stilla exi-
gua cum vastissimo mari com-
parata. p. 571.

27. Construe tibi per men-
tis conceptum veluti habitacu-
lum quoddam ex solius divinæ
voluntatis materia, téque in eo
ita conclude, ut in omnibus,

APRILIS.

quæ agenda, vel omittenda
occurrunt, cogites voluntatem
DEI te circumdare, secundum
quam vivere debes. p. 643.

28. Potes animum ad ho-
norem DEI remittere, sed eum
dimittere non debes, ne dum à
te ipso expulsus, foris vagaris,
oblectatio spiritui contraria,
seu quævis passio comprehen-
dat te, & interiora tua dissipet,
repleatq; amaritudine. p. 668.


29. Pati pro DEO res tantæ
dignitatis est, ut homo jure se
reputare debeat indignum eo
honore. Etiam exigua molestia
propter DEUM æquanimiter
tolerata incomparabiliter præ-
stantior est, quàm sint multa &
grandia bonorum operum ex-
ercitia. p. 315.

30. Justo ac recto homini

ob

APRILIS.

ob bonæ voluntatis suæ perfectionem nullum tempus nimis breve esse potest. Quando autem sic voluntas est affecta, ut quidquid potest facere, velit, idque non solum nunc, sed etiam si mille adhuc annis superviveret, tunc planè coram Deo totum hoc illi imputabitur, quod tanto interim spatio opere perfici posset. p. 281.



MAJUS.

I.

SI desideramus regnum cœlorum, idè illud desideremus, quia DEUS ex summa bonitate, charitatèque sua vehementissimè cupit nos eò tandem pervenire, & quia in illo regno beatissimo perfectè amabi-

C 4

mabi-

M A T U S.

amabimus ac laudabimus DE-
UM, sicque ipsi longè gratissi-
mum præstabimus obsequium.
p. 233.

2. Ut te ipsum à mala vel in-
ani tristitia remedio sublimior
extrices, memoria repete, justis-
simum esse, ut semper in DEO,
aut propter DEUM gaudeas, qui
nunquam non tibi præsens est
cum infinitis bonis, quæ sibi
ipsi, & tibi possidet. p. 229.

3. Celsissimus & Omnipoten-
s DEUS amabilibus perfectio-
nibus suis, adeò universum cre-
atum excedit intellectum, ut si
cælum terraq; libris repleretur,
vastissimùmque pelagus totum
esset atramentum, & omnes spi-
ritus Angelici, cunctæque ani-
mæ essent scriptores, citiùs ip-
sum mare Scriptores exhauri-
rent,

M A T U S

rent, quàm minimam cujuslibet perfectionis divinæ partem absolverent. p. 263.

4. Desideremus ad gloriam DEI habere tam divinam contritionem, quàm unquam aliquis habuit, & pro dolore, quem in nobis nimis exiguum esse judicamus, offeramus DEO omnem sanctam contritionem omnium Electorum ejus. p. 271.

5. Fieri nullâ ratione potest, ut vel aspicias tantùm pijs oculis imaginem Crucifixi sine grandi utilitate, cum ibi salutis tuæ summam invenias. Inestimabilis planè thesaurus invenitur in vita & passione Christi, cui si te convenienter adjunxeris, mirum in modum locupletaberis. p. 281.

C 5

6. EX-

M A T U S.

6. Excellentissimum planè exercitium est, mentem semper gerere morientem erga res creatas, séque infra omnem creaturam deprimere ac vilipendere. Qui enim semper moritur in seipso, semper in DEO novâ vitâ vivere incipit. p. 304.

7. Revera DEUS cùm sit fons immensæ misericordiæ, non potest non succurrere, non potest non ignoscere ei, qui ipsum humiliter & confidenter invocat, etiamsi is peccata totius mundi millies commisisset. p. 316.

8. Quamvis sancti Angeli magno intervallo nos miseros dignitate, puritatèq; transcendant, plurimum tam exoptant & satagunt, ut illis in æterna gloria æquemur, vel etiam eos

P RÆ-

MAIUS.

præcedamus: tanta videlicet
humilitas, tanta benevolentia,
tanta benignitas, & charitas in
eis est. p. 715.

9. Toties DEUS centum ta-
lenta (ut ita dicam) in the-
sauros reponit, danda suo tem-
pore ei, qui piè orat, vel etiam
illi, pro quo oratio funditur,
quoties ipse orans vel mini-
mum nummum postulat. p. 697.

10. Nullus adeò aridus, &
divinâ gratiâ destitutus est,
quin si promptè proper DEUM
obedire velit, virere & florere,
copiosumque fructum produ-
cere possit. Planè obedientiâ,
quâ homo bonæ voluntatis se
submittit & non vult ex seipso
vivere, via ad cælum tutissima
est, per quam facillimè retia di-
aboli evaduntur. p. 602.

C. C.

III. Num

MAIUS.

11. Nunquam murmures
adversus DEUM, neque opera,
judiciâque ejus reprehendas,
licet enim hæc occulta & in-
cognita, atque etiam incom-
prehensibilia tibi sint, semper
tamen justa, ordinatissimâque
sunt. p. 556.

12. Si tu bona opera tua,
quæ ex se nimis imperfecta
sunt, sanctè inserueris, atq; u-
nieris operibus Christi, efficien-
tur nobilissima, quemadmo-
dum guttula aquæ missa in vi-
num, nobilem vini colorem ac
saporem accipit. p. 282.

13. Qui propriæ volunta-
tî omninò renuntiat, verissi-
mam habet charitatem, quæ
seipsum aut privatum aliquid
non quærit. Enimverò humi-
li mente, omnibûsque viribus
inten-

M A I U S.

intendere ac desiderare voluntatem, honorémque DEI, sincera charitas est, quæ omnium virtutum, totiúsque sanctitatis est radix & origo. p. 234.

14. In Venerabili Sacramento Eucharistiæ Christus se totum tibi tradit, videlicet suam sublimem Divinitatem, præclaram animam suam, & Corpus suum gloriosum: unde & minimum donum ab ipso profectum, quod in hoc Sacramento accipis, sempiterno quodam decore ac pulchritudine longè excellentius te exornat, quam ulla unquam æstas quamlibet amœna terram ornaverit. p. 264.

15. Si aliquis eorum, qui strenuè decertant contra tentationum impugnationes, migret in-

MAIUS.

imperfectus ex hac vita; atque in purgatorio aliquamdiu detineatur, ubi ipse jam plenè purgatus fuerit, gradum in regno coelorum longè altiorem obtinebit, quàm obtineat is, qui non ita strenuus ac fervens fuit, licet fortè sine aliqua purgatorij pœna ad DEUM pervenit. p. 314.

16. Solet DEUS hominem ad se conversum in initio quidem multis consolationibus exhilarare, offerens ei pœnè assidue lac spirituale. & candidum panem gratiæ. Sed postea subtractâ hâc suavissimâ escâ, cibum solidum & panem atrum illi porrigit, jamq; eum per viam admodum inamœnam, difficilem & tenebrosam ducit, exercetque illum tribulationibus diutur-

M A T U S.

diuturnis, atque angustijs inef-
fabilibus. p. 555.

17. Sicut ille, qui opobalsa-
mum vel levitet contingit, ne-
cessario suavē odorem retinet,
ita is, qui Passionem Domini-
cam piē recolit, licet permo-
dico aff. etu id faciat, non po-
test non referre augmentum
gratiæ divinæ. Sed nec effigi-
em quidem Crucifixi Redem-
ptoris homo Christianus or-
thodoxæ fidei unquam reve-
renter aspexit, aut aspiciet sine
grandi utilitate. p. 690.

18. Si quidpiam ex donis
DEI tibi adscripseris, usurpave-
risque, & propter aliquam gra-
tiam internam vel externam
appetieris ab hominibus ma-
gnipendi, latet utique in te
grandis superbia. p. 569.

19. Ni-

M A T H. 9.

19. Nimis infidelis DEO est, qui quando DEUS eum consolatur, DEO servire vult, sed quando spiritali consolatione destituitur, mox à DEO recedit, & impura illicitaque solatia perquirat. p. 581.

20. Verus obediens subjicit se non tantum DEO & superioribus, verum etiam omnibus hominibus, & quanto homines sunt inferiores, tanto ei subiectio amplius sapit, tanto ipse libentius obedit, majorem enim hinc sui mortificationem invenit, quam dum sub majoribus se inclinat. p. 602.

21. Verè mens boni hominis ex spiritali doctrinâ multa, præclarâque commoda recipit, nam & conservatur munda, & ignorantiam deponit, &
tran-

M A T U S

tranquilla redditur, & illumi-
natur, & nutritur, & excitatur,
& roboratur, & eximium de-
corem accipit. p. 575.

22. Meminisse te velim, nul-
lam orationem digniorem esse
precazione Dominicâ & Salu-
tatione Angelicâ. Quaslibet a-
lias orationes sanctas velut bo-
nas margaritas dilige, sed ip-
sam precazione Dominicam,
Salutationemque Angelicam,
tamquam pretiosissimos & in-
comparabiles uniones habe
chariores. p. 296.

23. Dicit quidem DEUS his,
quos sublimiter elegit, sibi que
singulariter segregavit: qui te-
tigerit vos, tangit pupillam o-
culi mei. Verumtamen potius,
quàm tales non purgarentur
atque exornarentur per tribu-
lacio-

MAYUS.

Nationes, ipse permitteret, ut & dæmones, & homines, & elementa, sive quælibet creaturæ illos premerent, atque gravarent. p. 315.

24. Quamvis jucundum sit, exaudiri à DEO, dum pro gratia & virtutibus oramus, multò tamen delectabilius est, potissimo se DEI beneplacito resignare, ejusque ante omnia, in omnibus, & post omnia voluntatem appetere. p. 235.

25. O quàm subtiliter, feliciterq; tentationes ac laqueos Sathanæ & inordinatas tristitias evadunt, qui per simplicem obedientiam & resignationem se se Superioribus suis (quantumvis etiam malæ vitæ sint) humiliter propter DEUM submitunt! Profectò qui id agunt,

M A T U S.

gunt, quique ipsos Superiores,
amore, reverentiâ & honore
prosequuntur, eximiam bene-
dictionem, gratiam & conso-
lationem à DEO recipiunt. p.
266.

26. Tunc recta & integra est
voluntas, quando nihil omni-
no vitiosæ habet admixtum
proprietas, id est, quando ni-
hil malitiæ scienter continet,
quando à propria vitiositate a-
versa ac segregata penitus in di-
vinam voluntatem est transfor-
mata atque immutata, ita ut
nihil jam velit, nisi quod pro
suo iudicio & cognitione cre-
dit DEO gratum esse, atque hoc
ipsum, prout potest, & fieri de-
bere iudicat, & agendo & omit-
tendo declarat. p. 281.

27. Tanta est elegantia &
for-

MATHEUS.

formositas animæ rationalis, quam peccatorum sordes non deturpant, ut si tu eam clariùs cernere posses, vix scires præ admiratione & gaudio, ubinam esses. p. 557.

28. Beneplacitum ac voluntatem DEI omnibus illis, quæ DEUS dare possit, antepone & chariùs amplecti debemus. Unde optima & præcellentissima oratio, quam fundere possumus, hæc est: Domine DEUS, da mihi, quidquid volueris, & fac mecum secundam gratissimam voluntatem tuam. p. 235.

29. Ne pilum quidem ex donis DEI tibi assumas, nam etiam si tu solus omnia mortalium omnium bona opera fecisses, tam nudus inde manere debe-

res

M A R C U S.


res (quod ad tui reputationem,
& ipsorum operum immodi-
cam æstimationem attinet) ac
si nihil unquam boni fecisses.
p. 568.

30. Si cunctorum corda
mortalium simul unita mini-
mam bonitatis seu alterius per-
fectionis DEI partem (quan-
tum quidem in hac vita licet)
feliciter perciperent atque de-
gustarent, mox omnia præ a-
more & gaudio scinderentur, &
viribus deficerent, nisi Sancti
Spiritus temperante gratia de-
super corroborarentur. p. 263.

31. Ad perfectionem perve-
nire non potest, qui proprium
sensum deserere & promptè o-
bedire non vult. Malit homo
folia & quisquillas arborum per
obedientiam colligere, quàm
secun-

M A T H U S.

secundum propriam voluntatem magnis operibus, sublimibusque exercitijs insistere. p. 318.



JUNIUS.

I.

DEvita indecentes verborum contentiones, malens victus videri, quam virtutem sanctæ humilitatis amittere. Etiam si pro fidei & veritatis defensione cogaris quidpiam constantius asserere, non tamen superbè te geras, nec sis turbulentus, aut concitator, quam oportet. p. 556.

2. Si quoties homines de te, vel de tuis malè loquuntur, aut injuriam aliquam tibi irrogant, perturbanis & patientiam abjici-

cis,

JUNIUS.

ois, tranquillitas animi tui non
in DEO, sed in hominibus locata
est, dependetq; ab hominibus.
Quod si ita esset, miser utique
& nimis infelix esses. p. 570.

3. DEUS conscius infirmita-
tis humanæ diligentissimè mo-
deratur tentationes Electis suis
occurrentes, ne magis ingraves-
cant, quàm illi ferre possint:
quemadmodum amantissima
aliqua mater nudans infantem
suum ad ignem, inter ipsum in-
fantem & ignem manum sedu-
lò continet, ne ille nimio calore
lædatur. p. 314.

4. Submitte te infra omnes
homines, & in quietâ valle hu-
militatis tanquam in tutissimo
loco commorare. Puta te esse
veluti vilem quendam & reje-
ctaneum panniculum, quem
qui-

JUNTIUS.

quilibet liberè conculcare & premere possit. p. 556.

5. Tanta virtus est obedientia, ut Patres asserant, majus esse meritum ejus, qui libenter quidem ad honorem DEI jejuna- ret, sed ex præcepto Superioris, sive ex sacra Religionis constitutione, etiam carnes sobriè, continentèrque manducat, quàm sit meritum illius, qui pane & aquâ contentus, jejunat ex propria devotione. p. 313.

6. Quandoque molestum, aut acerbum quidpiam à creaturis tibi infertur, mox converte mentis oculos ad Creatorem, Patrèmq; tuum cælestem, qui hoc ex amore pro tua utilitate permittit. Illum attende potius quàm creaturas, quæ tribulationem inferunt, hæ enim
tam-

JUNIUS.

quàm si quis tribulationem humiliter, patienterque, propter Dei amorem sustineat: illa enim est pretiosus & præclarus annulus, quo DEUS animam sibi desponsat. p. 315.

10. Non tibi vanè placeas de aliquo DEI dono: qui enim consentit vanæ sui ipsius complacentiæ, faciem animæ suæ fædissima deturpat macula. Mane ergò jugiter in oculis tuis & in intellectu tuo parvulus & nihil. p. 556.

11. Fieri non potest, ut non & optimum & utilissimum tibi sit, quod purè de manu Domini accipis, cum DEUS homini bonæ voluntatis nihil præstet, nisi optimum, ac saluti ipsius convenientissimem, quod ita certum est, sicut certum est DEUM vivere. p. 570.

JUNIUS.

12. Speret homo certâ fiduciâ misericordissimum Dominum libenter sibi peccata condonaturum, non tamen petat, neque optet, ut ille ea non puniat. Sicut diligit divinam misericordiam, ita diligat & divinam justitiam, adeò ut paratus sit ipsa quoque inferni tormenta pro suis peccatis sustinere, si decor divinæ justitiæ id exigere, & DEUS vellet. Hac enim ratione plenissimam remissionem accipere poterit, à culpa & poena absolutus. p. 316.

13. Verus obediens proprium judicium & sensum citò deserit, ac velle nolléque suum prorsus abnegat, unde & infernum metuere non debet, nam sola propria & mala voluntas (quæ omnium peccatorum

JUNIVS.

fundamentum est) infernum
constituit, tolle illam & infer-
nus non erit. p. 602.

14. Fideliter memineris,
quare Christus JESUS venerit in
mundum, & quàm pius, cle-
mens, benignus, misericors, ac
salutis hominum amans sit, ita
enim nunquam de salute tua
desperabis. Perseveranter ei per
veram fidem, charitatémq; ad-
hære, & vitam æternam obti-
nebis. p. 625.

15. Separa atque repurga
voluntatem tuam ab omni ter-
reno & carnali affectu, quan-
tum potes, ita ut neque te, neq;
ullam aliam creaturam in hac
vita ames, nisi in DEO, & pro-
pter DEUM, ames verò DEUM
propter seipsum: nam divi-
nus amor consortium terreni a-
moris

JUNIUS.

moris nullo modo pati potest.

p. 643.

16. Consuesce vivere absq;
multis quærimonijs. Si libet
sæpius conqueri, conquerere
DEO, vel Beatæ MARIÆ Virgini,
aut alijs Sanctis, exponens illis
humiliter ac placidè ea, quæ te
premunt & angunt. p. 559.

17. Si tu non desideras, nec
conaris esse humilis, frustra tibi
persuades, quòd possideas cha-
ritatem, & quòd amœnam ha-
bitationem in te inveniat Spi-
ritus Sanctus, qui non requief-
cit nisi super humilem. Humi-
litati charitas semper conjuncta
est, & charitati humilitas: neq;
fieri potest, ut quis charitatem
habeat, si humilis non sit. p.
568.

18. Vox hominis benè resi-

D 3

gnati

JUNIVS.

gnati hæc est: Domine DEUS
meus, si in tui vergeret laudem,
ut post obitum meum annis 50.
flammis purgatorijs cruciarer,
illicò me sub pedes tuos abjice-
rem, & in tui honorem pœnas
illas animo paratissimo excipe-
rem. p. 571.

19. Suavitas sensibilis devo-
tionis non est indubitatum san-
ctitatis signum, sed DEUS eam
largiendo manifestat bonita-
tem suam: nam & his, qui pes-
simè vivunt, illam interdum
concedit. p. 581.

20. Qui diligit DEUM toto
corde, etiamsi multis modis af-
figatur, & longâ infirmitate
gravetur, & horrendâ, crucia-
bili atq; despectâ morte è cor-
pore exeat, is vivit, & moritur
feliciter, quia tribulatio & mors
aspe-

JUNYUS.

aspera in Electis minuit, vel dis-
solvit poenam peccato debi-
tam, & auget coronam. p. 610.

21. Si ad veritatis agnitio-
nem, & animi tranquillitatem,
summamq; perfectionem bre-
vi compendio pervenire deside-
ras, oportet, ut sis bonæ volun-
tatis, & nihil magis tibi curæ sit,
quàm placere dulcissimo Cre-
atori, atq; benefactori tuo Deo,
oportet, ut ipsius Domini vo-
luntatem jugi studio observare
& adimplere coneris. p. 643.

22. In pressura & afflictio-
ne homo non ita facilè seipsum
quærere potest, sicut in sensi-
bilis dulcedinis, consolatio-
nisque affluentia: in hac enim
plerumque natura se admiscet,
& anima si incautior fuerit, per
immodicam delectationem ci-

JUNIUS.

tò maculam contrahit. p. 570.

23. Quidquid facis vel omittis, fac & omitte propter DEI gloriam & honorem, ita ut in omnibus DEUM per simplicem intentionem purè spectes, & ad eum præclaro fime bonæ intentionis religatus sis, nusquam scienter & voluntariè quærens teipsum. p. 562.

24. Vita Christi liber admodum præclarus est, doctis & indoctis, perfectis atque imperfectis (qui DEO placere cupiunt) communis. Etiam si codices omnes, qui toto orbe habentur, intercidissent, vita & Passio Christi, abundè Christianis omnibus sufficeret ad virtutem omnem, & veritatem perdiscendam. p. 576.

25. Multi quidem multa in
lau-

JUNIUS.

laudem Psalmodiæ sacræ præ-
clare dixerunt, nullus tamen
pro dignitate & merito illum
adhuc commendavit, nec ali-
quis commendabit unquam.
Tanta virtus ejus est, ut verbis
prorsus explicari nequeat. p. 56.

26. In particulari judicio
reddere debebis exactissimam
rationem de tota vita tua, de o-
mni tempore infructuose
transacto, de omnibus malis
operibus tuis, de bonis omissis,
de singulis verbis otiosis, & sin-
gulis cogitationibus atque af-
fectionibus inordinatis. p. 727.

27. Ut DEUS tibi adsit per
gratiam, vide ne tibi desis per
solicitudinem. Fac, quod in te est,
exere manus, extende brachia,
confirma animum ad vitiorum
destructionem, ad perfectam tuam

D s

abm

JUNIUS.

abnegationem, collige cor, produ-
duc affectum, eleva mentem ad
æternorum contemplationem,
præsentiam DEI ubique atten-
dere consuesce. p. 672.

28. Nisi quis perceptâ sua-
vitate sensibilis devotiois sen-
tiat animi alacritatem, & fa-
mem virtutum, maximèq; san-
ctæ humilitatis & obedientiæ,
atq; charitatis divinæ affectum
in se remanere, potest habere
multum suspectam hujusmo-
di suavitatem. p. 581.


29. Crede mihi, in illa pa-
tria superna tanta amicorum
tibi turba est, ut etiam qui in il-
la innumera multitudine à te a-
lioquin vel maximè extraneus
est, propensius ac fidelius mul-
tò te amet, quàm ulli unquam
parentes suam amârint prolem.

ia

JUNIVS.

in hoc orbe sublunari. p. 402.

30. Si cælum, terra, & quæcunq; DEUS creavit, item quæcunque creare posset, (posset enim si vellet creare plurimos mundos isto longè excellentiores) si, inquam, ea cum ipso DEO componantur, tam nulla vel modica sunt, quàm modica est acies unius acûs comparata cum vastissima cæli mole. p. 313.



JULIVS.

I.

Hisce temporibus ea naturæ fragilitas est, & in diversa vitia ac lapsus pronitas, ut satis supérque necessarium sit homini præsidium aliquod & auxilium singulare, quo retrahatur ab ipsis vitijs, & in bono con-

D 6

fer.

JURUS.

servetur, ac postquam cecidit, erigatur: at qui hujusmodi præsidium & auxilium maximè omnium est divina ac saluberrima esca Corporis Domini. p. 275.

2. Quamdiu tempus gratiæ agitur, nequit DEI Genitrix benignissimos oculos suos à miseris ac pœnitentibus peccatoribus ipsam invocantibus avertere. Continuas enim pro eis fundit preces; ut germana soror, matérque fidissima curam salutis eorum gerit. p. 264.

3. Cùm nihil in te sit propriè tuum, nisi peccatum, tu quidquid boni habes & agis, attribue DEI misericordiæ ac benignitati, non tuam, sed DEI laudem & gloriam quærens. p. 568.

4. Cre-

JULIUS.

4. Crede inconcussa fide,
Dominum DEUM tuum magis
te amare, quam tu te ames, &
diligentio rem tui curam habe-
re, quam ipse habeas aut habe-
re possis. Confide in eo ple-
nissime, te & omnia divinae e-
jus providentiæ sine aliqua hæ-
sitatione committens, omnemq;
solicitudinem tuam in eum
projiciens. p. 644.

5. Revera omni die, omni
hora, omni que momento mor-
ti & ultimæ horæ vitæ hujus
appropinquas. O quam breve
tibi tunc videbitur esse tempus
vitæ tuæ! Apparebit enim ve-
lut somnium & quemadmo-
dum umbra, cum perpendes in-
stare æternitatem, quæ nun-
quam finietur. p. 726.

6. Expedite, relinque om-
nia,

JULIUS.

nia, relinque omnem proprietatem: quidquid DEUS non est, id in corde tuo per adhæSIONEM, sive inordinatam implicationem non sit. Ab omnibus, quæ citra DEUM sunt, liber esto, ita ut neque ineptè gaudeas propter læta, neque inordinatè deijiciaris propter tristia. p. 671.

7. Memoria sacratissimæ Passionis Domini est præsens passionum & affectionum inordinatarum exterminatio, opportunum tentationum refugium, tuta periculorum securitas, suave angustiarum refugium, amica laborum requies, facilis distractionum repressio, verum sanctitatis ostium. p. 658.

8. Si in te, ô homo, fervet desiderium perveniendi ad excel-

cel-

JULIUS.

cellentem, sanctamque vitam,
si pro ea obtinenda continuo
oras ac laboras, certus esto, quia
humiliter te abnegando, & per-
severanter pulsando, ipsam per-
fectionem consequeris ante
mortem, modo id saluti tuae ex-
pediat. Quod si illa non obti-
geris, antequam hinc emigres,
invenies haud dubie eam in
DEO in ipsa aeternitate. p. 296.

9. Commenda bona opera
atque exercitia tua sacratissimo
atq; mellifluo cordi JESU Chri-
sti emendanda, perficiendaq;
maxime enim id expetit cor il-
lud amantissimum, & semper
paratum est imperfecta tua ex-
cellentissimo modo perficere.
p. 568.

10. Ipse DEVS, qui Rex est
noster, qui Pater est, qui Domi-
NUS.

JULIUS.

nus, qui Sponsus, nullum exci-
pit peccatigenus, nullum præ-
scribit peccandi numerum,
quoties per veram pœnitenti-
am resipiscimus, remittit pœ-
nam, quam comminatus est,
recipit in familiam, introducit
in cubiculum charitatis suæ,
nec recipit solùm, verùm etiam
omnium admissorum oblivis-
citur. p.403.

II. Nunquam de DEI mise-
ricordia desperaveris: neque
enim innumerabilis horrendo-
rum enormiùmque criminum
multitudo sic DEUM nobis red-
dit implacabilem, sicut unica
desperatio: nam qui diffidit de
venia, DEUM misericordem &
omnipotentem esse negat, in
Spiritu Sanctum blasphemus
est. p.673.

12. De



JULIUS.

12. De nullius adhuc viventis salute penitus desperes, quia qui modò perversus est, potest mox DEI gratiâ bonus effici: Pons divinæ misericordiæ nondam est dejectus, sed adhuc securum præstat transitum his, qui resipiscunt. p. 558.

13. Propter DEI honorem atque amorem resigna & abnega tuam voluntatem, quæ inordinata est, mortifica tuas pravas passiones & affectiones: quantum enim tibi ipsi, & vitiolis propensionibus tuis morieris, tantum vives in DEO: & quantò diligentius ejeceris, quod tuum est, tantò abundantius recipies, quod DEI est, nempe sanctissimam gratiam DEI, & DEVM ipsum. p. 643.

14. Neque scribi, neque cogita-

JULIUS.

gitatione comprehendi potest, quantum fructum homo bonæ voluntatis & humilis referat ex pia meditatione Passionis Dominicæ. Iste quamlibet modico affectu aliquid de vita & Passione Christi legat aut ruminet, non potest non maximam inde utilitatem capere, quemadmodum is, qui digitos in farinam mittit, non potest non habere eos farinâ conspersos. p. 576.

15. Quando ex fragilitate humana peccatum admittis, non nimium de jiciaris animo, sed culpam humiliter agnoscens, crede JESVM velle tibi veniam dare, libenterque ignoscere. p. 625.

16. DEUS nævos aliquos spirituales, & modicum quid reprehensibile etiam in charissimis

JULIUS.

mis Electis suis sæpè relinquit
(qui ut plurimum ad iram &
vehementiam procliviores sunt
vel primorum motuum mole-
stiâ longo tempore fatigantur)
ut sibi & alijs cogniti magis hu-
milientur, indéque gratia,
quam à Domino acceperunt,
velut ignis sub cinere occulte-
tur ac melius conservetur. p.
316.

17. Unusquisq; mentem su-
am ad DEUM revocans atque
convertens, potest dicere corde
vel etiam ore: ô præstantissi-
mum bonum, ô lux gratissima!
ô pelagus purissimæ lætitiæ,
DEUS meus, tu mihi præsens es.
Utinam mundus coram te as-
sisterem! utinam tibi verè pla-
cerem! utinam ardentè te dili-
gerem. p. 275.

18.

JULIUS.

18. Nihil aspicere, nihil audire, nihil gustare, nihil alijs sensibus percipere, nusquam progredi, nihil facere, nihil loqui, nihil cogitare aut desiderare velis aliter, quàm DEO placitum, acceptumque esse credis. p. 643.

16. Nullum omninò utilis exercitium homo in extremis habere potest, quàm ut liberè sese voluntati DEI permittat, atque ex pura dilectione ad eum conversus benignitati illius firmiter confidat. p. 610.

20. Ille DEO valdè placet, qui fide & amore divino plenus in ipsa sterilitate, paupertatèq; suâ internâ humiliter dicere novit: Domine licet ego immundus sim, & omni consolatione (quam plerique boni homines

ex-

JULIUS.

experiuntur) indignus, te ta-
men non derelinquam, sed de-
solatus libenter ero juxta tuum
beneplacitum & permissio-
nem. p. 581.

21. Christus quemlibet ho-
minem Sacramentum Euchari-
stiae dignè percipientem vicini-
us sibi adjungit, intimiùsque
copulat & unit, atque in eum
mirabiliter adducit fructum il-
lum inæstimabilem, quem ex
ipsius vita, passione, morte, re-
surrectione & ascensione perce-
pimus, eundémque exornat in-
dicibili decore gloriae sacratissi-
mi Corporis, sanctissimæ Ani-
mæ, & excellentissimæ Divini-
tatis suæ. p. 275.

22. Ut corpore valeas, per-
mittiste Medico homini, credis
te Chirurgo ligandum, secan-
dum,

JULIUS.

dum, urendum: ut animæ salutem æternam compares, non credes te Conditori, Domino, Patri & Salvatori? Non audes dicere Medico: hâc & hâc ratione curato me; & DEO præscribimus, quomodo oporteat nostræ salutis consulere. p. 404.

23. Metuere non debes, ne in cælo desit quidquam eorum, quæ hîc tibi placent. Nam quidquid decoris, elegantia, suavitatis, gratia, perfectionis & excellentia hic in omnibus creaturis inveniri aut sentiri potest, id ibi exuberantissime, & superessentialiter est. Breviter omnis boni influxus ibi est. p. 583.

24. Ad hoc, donata nobis memoria est, ut DEI reminiscamur: ad hoc concessus intellectus

ctus

JULIUS.

Etus, ut per fidem & contem-
plationem in DEI cognitione
proficiamus: ad hoc præstita
voluntas, ut DEUM eligamus
atque diligamus. Quare ergo
has excellentissimas animæ vi-
res in nobis marcescere sinimus,
illásque ad solas res infimas co-
gitandas, cognoscendas & a-
mandas dejicimus. p. 308.

25. Quamvis obligatus non
sis ad perfectionem pervenire,
es tamen obligatus adniti,
quantum in te est, ut ad illam
pervenias. Blandire tibi, sicut
blandiri vis, persuade tibi, quod
persuadere vis, confinge & præ-
texe excusationes, quas confin-
gere vis, obligatus es ad perfe-
ctionem pro viribus tendere.
Sic est, & aliter non est. p. 672.

26. Servi DEI fideles sem-
per

JULIUS.

per devoti sunt, quia dum summo studio vitant atque abominantur, quæcunq; DEO displicent, cordisque puritatem vel tenuissimè contaminare possunt, dumque DEO se in omnibus rerum eventibus committunt, mentem mundam, liberam, quietamque semper possident. Ista enim verissima, DEOque gratissima devotio est. p. 655.

27. Singula, quæ fecit & pertulit JESVS, ita considera & recipe, quasi pro te solo illa fecisset atque pertulisset. Neque enim ea tibi minus prosunt, quàm si tu solus per Christum redimendus fuisses. Sed etsi solus redimi debuisses: ille pro te uno promptissimè & incarnari, & pati, & mori voluisset, adeò salu-

JURUS.

salutem tuam sitit, & tam ar-
denter te diligit. p. 276.

28. Plerumque ibi DEUS per-
gratiam suam maximè adest,
ubi minimè sentitur: & sæpè:
homini meliore est ariditas cor-
dis, quàm esset profundissima
abundantia suavitatis, nam in
ariditate & sterilitate homo cla-
rius agnoscit, se ex se nihil posse.
p. 310.

29. Inordinatis affectibus er-
ga creaturas, præcipuè que erga
homines facile etiam bonus
quisque in seipso debilitatur,
perturbatur, colligaturq; , ita ut
amorem, quem uno contraxit
momento, vix multo possit
tempore e corde suo ejicere. p.
275.

30. Venerare sanctos cæli
Cives, tanquam inclytos prin-
cipess

E

cipess

AUGUSTUS

viriliter frangere, salubriterque
relinquere, passiones, affectio-
nesque vitiosas in te mortifica-
re satage. In his sit quotidiana
labor tuus, gloriosum cer-
tamen tuum, & salubris afflictio
tua. p. 652.

2. Nonnulli magna quæ-
dam opera ad senium usque pa-
trare videntur, nam multum o-
rant, multum vigilant, multum
jejunant, multum laborant, sed
quia vitia sua, propriamque vo-
luntatem mortificare minimè
student, semper in eodem hæ-
rent luto, & æquè impuri atque
à vera sanctitate alieni sunt.
Moriatur necesse est vitijs, si
Deo vivere velimus. p. 279.

3. Non putes ea, quæ piè
facis, Deo grata, tibi que utilia
tunc minimè esse, quando pa-

AUGUSTUS.

lato cordis tui parum sapiunt,
& quando in illis te sentis minus
alacrem, aut etiam gelu interno
constrictum, tenebrisque
circumfusum. p. 581.

4. Cilicium, durities lecti, e-
sus panis, potus aquæ, flagella-
tio corporis ac similia pro DEI
honore purè peracta, ipsi qui-
dem Domino placent, & ad car-
nem edomandam juvenibus
robustis non parùm profunt:
verumtamen verus DEI amor
hominem multò vicinius DEO
conjungit, & carnis petulanti-
am citius, efficaciusque com-
pescit ac superat. p. 301.

5. Horâ mortis appropin-
quante commenda te benignis-
simæ Virgini MARIÆ. Sanè si
MARIAM ex corde invocaveris,
si ad eam humiliter & confiden-
ter

AUGUSTUS.

ter te converteris, ipsa introi-
tum regni cælestis, quem tua i-
niquitas, justitiæque divina tibi
fortè occludebat, aperiet. Ma-
ter enim misericordiæ & porta
Paradisi est. p. 695.

6. Nunquam sineret DEUS
minimam adversitatem intus,
forisve exurgere, & nec mini-
mum quidem ventum flare ad-
versus Electos suos, nisi sciret,
hoc eis expedire ad salutem.
Frigore, æstu, fame, siti, infirmi-
tate, & quibuslibet alijs afflicti-
onibus non solum purgat, sed
etiam mirificè exornat animas
nostras. p. 315.

7. Cave sedulò, ne propter
spiritualem consolationem va-
nè glorieris ac tibi placeas:
cave ne nimium illi innita-
ris vel confidas, néve illâ abu-

AUGUSTUS.

taris ad propriam voluptatem:
neque enim in donis DEI, sed
in ipso DEO quiescere debemus.
p. 582.

8. Licet omnes non eundem
vivendi modum servare, nec eâ-
dem forinsecus viâ ingredi pos-
sint, intus tamē eâdem omninò
viâ (viâ utique amoris) omnes
incedere debent. Quisquis enim
DEUM non amat, ille necdum
modum aliquem habet & clau-
dus est. p. 280.

9. Verus obediens propriæ
voluntati renuntiat, & in exe-
quendo ea, quæ præcipiuntur,
moras non nectit, sed mox ubi
ei aliquid injungitur, paratus
est, imò verò præceptum ple-
rumq; non expectat. p. 602.

10. Dominus DEUS toties à
homine offensus, ultrò provo-
cat.

AUGUSTUS.

cat ad poenitentiam, invitat ad
veniam, remittit minas, condo-
nat gehennæ poenam, offert pro
supplicio benignitatem, & adeo
non avertit sese à resipiscente ac
poenitente peccatore, ut ultrò
etiam occurrat revertenti, &
obvijs ulnis excipiat conver-
sum. p. 405.

11. Nunquam ore, nun-
quam corde dicat homo (spe-
ctando seipsum & proprium
commodum) verba ista: volo
hoc, volo istud: eligo hoc, re-
spuo illud. Neque in tempore,
neque in æternitate aliquid su-
um quærat, sed omni proprieta-
te rejectâ, se prorsus seipso spo-
liet, privetque, & sibi, rebûsque
omnibus ita moriatur, ac si cre-
atus nunquam fuisset. p. 300.

12. Quidquid Redemptor

E 4

CULIS

AUGUSTUS.

tuus fecit ac pertulit, tibi fecit
ac pertulit: propter te sangui-
nem fudit ac mortuus est. Mor-
tuus ipse est, ut tu vitam æter-
nam obtineres. Portavit pec-
cata tua, & solvit debitum tu-
um. Omnia sua tibi contulit,
ut per eum dives meritorum fi-
eres. p. 281.

13. Licet fortè usque adeò se
derelictum esse sentiat homo, ut
DEUS ei dicere videatur: rece-
de à me, non novi te, non pla-
ces mihi; nequaquam tamen
ob id spem abjiciat, sed ad DE-
UM conversus dicat: multum
quidem me gravant ea, quæ su-
stineo Domine, & mihi minus
congrua, atq; utilia esse viden-
tur, sed tu, qui sine causa nihil
accidere permittis, scis, quare
eveniat: unde ego tuæ bonitati

SON

AUGUSTUS.

confidens, me totum tibi fundi-
tus resigno. p. 314.

14. Quantum te transitori-
arum caducarumq; rerum con-
tagione infeceris, tantum in Dei
amorem peccabis, & tantum à
vera perfectione excides. Planè
nullâ ratione fieri poterit, ut
Deo nudè conjungaris atq; uni-
aris, si sensuali & impuro amo-
re implicitus fueris. p. 644.

15. Venerationem ipsius
MARIÆ charam habeto: ipsa
enim est Regina Cæli potentis-
sima, ipsa dispensatrix gratia-
rum liberalissima, ipsa omnium
fidelium Mater fidelissima. Tu
igitur facito illam tibi unice fa-
miliarem. p. 18.

16. Qui ad singularem DEL
amicitiam pertingere vult, de-
bet sic animum instituere, ut

E S

DEO

AUGUSTUS.

DEO servire malit, quomodo
Deus ipse ordinat, vel sancta o-
bedientia exposcit, quam quo-
modo propria affectio, propria-
ve natura seu ætas suadet. p. 679.

17. Si voluntas DEI tibi
dulcis est, quando ipse te sanum
esse & vivere vult, amara verò
est, quando te vult infirmum
esse vel mori, nondum plene
resignatus es, nondum habes cor
satis rectum. Si vis, ut ipsum
cor tuum jam non sit curvum,
subjunge illud in omnibus vo-
luntati divinæ, quæ semper re-
cta est. p. 571.

18. Abundantissima beati-
tudo in cælo tam ingens, tam
multiplex, tam inexhausta e-
rit, ut nec enumerari, nec men-
surâ comprehendi, nec cogita-
ri, nec scribi, nec verbis expri-

AUGUSTUS

mi, nec ullâ demum ratione factis ostendi queat: major est enim & cumulatior, quàm vel spe, vel desiderio, vel cunctis simul viribus nostris capere queamus. p. 284.

19. Quærat homo ubique DEUM, ejusque honorem ac voluntatem, ita ut ipsis quoque orationibus, piisque desideriis suis humilem sui abnegationem, resignationemque conjungat, petens non suam, sed Dei voluntatem fieri. p. 300.

20. Nunquam recalcitres neque murmures contra DEUM. Suscipe humiliter de manu ejus, quidquid in hac vita tibi accidit, quomodoocunque etiam accidat, & à quacunq; creatura proficiscatur vel inferatur: neque enim aliquid sine DEI

E. G.

volun-

AUGUSTUS.

voluntate & permissione alicui
evenit. p. 644.

21. Quando videris tibi ma-
gnâ obscuritate, ariditateque
contabescere, & gravibus angu-
stijs premeris, si tunc conformis
divinæ voluntati miseriam &
afflictionem illam cum beni-
gnâ tranquillitate propter DE-
UM toleras, multò gratior DEO
es, quàm si divino lumine irra-
diareris, & intus florerent om-
nia. p. 570.

22. Quod per dilectum DEI
Patris Filium Christum JESUM
pie offertur, ultra quàm dici
possit, nobile & DEO acceptum
redditur, quemadmodum ap-
paret aureum aut purpureum,
quidquid per gemmam vel vi-
trum, aurei, purpurei ve coloris
conspicitur. p. 680.

AUGUSTUS.

23. Marcidus languor nos-
ter nos impedit, quem si as-
sumpto virili animo strenuè e-
vinceremus, nobisque ac cun-
ctis rebus caducis emori, & DEO
amœnam in animabus nostris
habitationem præparare stude-
remus, non possemus tandem
non adipisci maxima, non pos-
semus non habere ac sentire DE-
UM in nobis. p. 296.

24. Semper quærat homo a-
gnosceret gratissimam DEI VO-
luntatem, dicens intra se: Ô
Domine, quid me nunc vis a-
gere? placetne tibi, ut hoc vel
illud faciam? Quòd si sentit
DEUM velle, aut permittere, ut
aliquid faciat, oret eum hoc
modo: Domine digneris illud
in me, & per me operari. p. 302.

25. Si DEUS permittit te tri-

E. 7

bula-

AUGUSTUS.

bulationibus, persecutionibus, tentationibus, angustijs, aviditate, obscuritateque mentis, infirmitate corporis, vel quolibet alio gravamine premi, persuasissimum habe, eum hoc facere ex pura charitate pro salute animæ tuæ. p. 644.

26. Tunc Christo verè charissimi sumus, & piissimum cor ejus efficacissimè ad nos inclinamus, quando voluntatem nostram voluntati ejus perfectè conformamus, atque subdimus, integerrimâ humilis cordis fiduciâ nos, curamque nostri in eum jacentes, ac cupidissimè super omnia exoptantes, ut ipsa laudabilissima voluntas ejus in nobis & circa nos plenissimè tam in futuro, quàm in præsentis sæculo perficiatur. p. 679.

27. A-

AUGUSTUS.

27. Amor ille, quo DEUS nos ob sibi exhibitam veram dilectionem complectitur, tam infinitus ac vehemens est, ut non intellectum modò, sed & omne desiderium hominis superet: nam multò amplius omnem & angelicum & humanum vincit amorem, quàm ignis immensus tenuissimam scintillam. p. 262.

28. Fieri non potest, ut etiam minima precatiuncula ritè fusa, aut minimus gemitus, minimumve suspirium ad DEUM piè emissum grandi fructu careat. p. 565.

29. Quantâ diligentia invigilat mater, ne infantulus suus, qui per se nondum satis tutè graditur, corruat & se lædat? Si tanta providentia relucet in creaturis,

AUGUSTUS.


aturis, quæ symbola veritatis sunt, quantum credere debemus esse in ipsa veritate, nempe in Creatore. p. 703.

30. Dicitur non potest, quam Deo gratas & nobis fructuosas reddat ipsas actiones nostras sancta intentio. Etiam si quis solummodo pedem aut manum vel linguam pure propter Deum moverit, caputve inclinaverit, minimam cogitationem, minimūmq; desiderium secundum charitatem habuerit, amplissimam postea mercedem accipiet. p. 676.

31. Quando homo immortificatione aliqua pulsatus, in aliquem defectum labitur, ingemiscat atque suspiret, non autem despondeat animum, licet forte centies aut etiam millies
uno

AUGUSTUS.

uno die labatur. Non arbitretur se ideo non esse gratum DEO, quòd adhuc imperfectus sit: nam DEO valde acceptus est, si ex animo desiderat, & totâ diligentia contendit esse perfectior; beatúsq; erit, si in hujusmodi conatu constitutus ex hac vita migraverit. p. 304.



SEPTEMBER.

I.

CUM DEUS ubique locorum sit, & te incessanter intueatur, atque in intimo nudòq; animæ tuæ fundo præsentem se exhibeat, æquissimum sanè est, ut casto cum timore & reverentia coram ipso ingrediaris, & eum toto corde amare, etque omni studio placere desideres
&

SEPTEMBER.

& contendas, vitans diligenter omnia, quæ divinos illius oculos offendere possunt. p. 263.

2. Persuasissimum habe, fieri non posse, ut DEO vivas, nisi humilis & resignatus esse, ac vitijs, inordinatisque naturæ tuæ propensionibus emori coneris. Tantum in te crescet verus amor DEI, quantum minuetur perniciosus amor tui, quo te ipsum impurè quæris, & ad te ipsum reflecteris. p. 557.

3. Quòd si interiora tua clarescere, & Psalmodia ac cætera divinæ laudis obsequia tibi dulcescere cæperint, noli altum sapere, sed time: nam etsi dilatato corde viam mandatorum DEI aliquamdiu curris, non tamen tu tibi, sed DEUS cor dilatavit, & qui dilatavit, ipse idem, sub-

SEPTEMEER.

Subtractâ gratiâ, permitttere potest, ut iterum constringatur. p. 664.

4. Tanta est enormitas mortalitatis peccati (cui æterna damnatio debetur) ut jure nos ipsos pro uno etiam minimo tali crimine, omnibus diebus vitæ nostræ usque ad pulverem sub ipsis quoque brutis animalibus deprimere deberemus. p. 725.

5. Multiloquium non amet homo: ipsum enim spirituali & internæ vitæ plurimum incommodat. Amet autem moderatam taciturnitatem, quæ multorum bonorum mater est. O quam felix est, qui custodire novit linguam suam, is enim ab innumeris culpis atque angustijs liberat animam suâ. p. 301.

6. Si solam Palmodiam sacram

SEPTEMBER.

gram haberemus, posset nobis per omnem vitam sufficere ad omne spirituale exercitium, siue legere, siue meditari, siue DEUM laudare atque precari liberet. Inexhaustus siquidem thesaurus est, nihil non continens, quæ vel ad purgationem, vel ad suavitatem, vel ad eruditionem, vel ad ornatum, vel ad consolationem animæ spectant. p. 56.

7. Qui serio apud se recogitat, quemlibet hominem secundum animam excellenter creatum esse ad imaginem & similitudinem DEI, eumque ineffabili & immenso amore à DEO diligi, atque unigenitum DEI Filium pro illo sanguinem fuisse, mortemque subiisse, is neminem novit contemnere, neminem

SEPTEMBER.

minem a versari, neminem odif-
se. p. 265.

8. Tota mitis est MARIA Vir-
go, tota serena, tota suavis, tota
benigna non solum justis &
perfectis, verum etiam pecca-
toribus ac desperatis, quos ut ad
se ex corde clamare conspexe-
rit, statim adjuvat, suscipit, fo-
vet, & metuendo Iudici mater-
nâ fiduciâ reconciliat. p. 18.

9. Frequenter memoriâ re-
pete Christianum te esse, non
tam propter præsentem, quam
propter futuram vitam, & ter-
renis caducis que rebus despe-
ctis transfer cor tuum ad coele-
stia atque æterna. p. 559.

10. Si fortè præoccupatus ex
fragilitate cecideris, noli inor-
dinatâ pusillanimitate te ipsum
intempestivè affligere, sed hu-
mili-

SEPTEMBER

militer confitere culpam coram Domino, & renovato proposito, fiduciaque piè relumptâ, omnes defectus tuos in abyssum misericordiarum ejus, aut in Sacrosancta vulnera ipsius affectuose projice. p. 670.

11. Si adlectionis sacrae studium promptus ac diligens esse volueris, jucundaberis plurimum, & tibi dulcescere incipient quævis spiritualia, fietque ut sanctis delitijs assuefactus, omnes delicias carnales facile contemnas, & mirum in modum stabilietur mens tua in bono proposito. p. 656.

12. Quid est stultius, quàm ob res fluxas ac momentaneas privari bonis æternis? quid sapientius, quàm brevi tolerantia lucrifacere immortalitatem?
desi-

SEPTEMBER.

desipiunt: igitur omnes, qui
perseverant in peccatis, sapiunt,
qui vitam in melius commu-
tant. p. 407.

13. Intus homo ita ordina-
tus esse debet, ut Deus sit illi o-
mnia in omnibus, & ipse DEUM
in cunctis creaturis agnoscat,
atque diligat, creaturas item o-
mnes in Deo amet, aspiciens
easdem modo nobilissimo,
nempe sicut profluxerunt ex
Deo sua origine. p. 359.

14. Diligentissime penset
homo, quam ardenti amore,
quamque ineffabili gaudio ipse
Dominus Jesus humanam car-
nem assumpserit, & nostram sa-
lutem operatus sit, quam bene
de nobis cogitaverit, habens
quemlibet nostrum ante cordis
sui oculos in omnibus, quæ fa-
ciebat & sustinebat. p. 309.

SEPTEMBER.

15. Si te desiderante divi-
nam consolationem, DEUS eam
tibi negaret, & tu pro gloria e-
jus resignato ferres animo, haud
dubiè veriùs illam haberes, &
centuplo plus præmij apud DE-
UM tibi cumulares, quàm si sen-
sibiliter consolationem perce-
pisses. p. 581.

16. Psalmodia sacra pericli-
tantes liberat, fauciatos sanat,
cæcos illuminat, pigros excitat,
frigidos inflammat, mæstos
consolatur, vacillantes confir-
mat: odium peccati adducit,
contemptum mundi parit, a-
morem DEI inserit, desiderium
vitæ æternæ gignit. p. 56.

17. Quinq; vulnera Christi
beatissima, omnis gratiæ, om-
nisq; consolationis fontes sunt,
& plus pulchritudinis, lætitiæ,
atque

SEPTEMBER.

atque claritatis toti cælesti curi-
riæ conferunt, quàm omnia a-
lia, quæ in vita perenni (ex-
ceptâ Divinitate) habentur.
& p. 625.

18. Misericors Dominus sæ-
pè ea, quæ concedere vult, dif-
fert in longum tempus præsta-
re, eò quòd non satis conveni-
enter, neque satis utiliter illa ci-
tius largiretur. Et plerumque
exaudiens nos ad nostram sa-
lutem non id præbet, quod pe-
tinus (quia nobis non condu-
cit) sed aliud, quod expedit, do-
nat. p. 691.

19. Tanta & usque adeo in-
comprehensibilis est lux Divi-
nitatis, ut si quilibet Sanctorum
ab Adam usque ad novissimum
hominem singularem percipe-
ret cognitionem tam altam ac

¶

per

SEPTEMBER.

perspicuam, quàm altam perspicuamque aliquis unquam percipere potuit, & alter cum altero suâ cognitione non participaret, etiamsi millies numerosior esset multitudo Sanctorum, adhuc tamen in infinitum ipsa lux Divinitatis superaret omnem intellectum. p. 701.

20. Sub divini Officij decursu perfectè, reverenter, gratanter, & attentè sacra eloquia pronuntiare atque audire satage, ut gustes, quoniam suavis est Dominus, & sentias, quoniam verbum DEI incomprehensibilem habet dulcedinem, & virtutem: quæcunque enim Spiritus Sanctus distavit, revera vivificus cibus, & delitiosum solatium sunt animæ castæ, sobriæ & humilis. P. 653.

21. Quan-

SEPTEMBER.

21. Quantum fieri potest, semper intra se habitet homo, animum ab omnibus rebus caducis avocans atque expediens, internūmq; intuitum simpliciter ac tranquillè in DEUM (qui in se præsens est) dirigens & dulcia colloquia cum eo miscens. Existimet meram miseriam, infelicitatēque esse, etiam brevissimo tempore elongari ab ipso Domino DEO. p. 360.

22. Nihil prorsus de his, quæ homo benè agit, loquitur, aut cogitat, sibi adscribat, sed omnia illa DEO attribuat, se in nihilo suo semper continens, & etiam eos, qui pessimè vivere videntur, sibi præferens: revera enim, si quid in se boni habet, id omnino DEI est, non suum,

SEPTEMBER.

nam ex se ad omne malum propensus est, & nisi gratiâ Dei servaretur, in innumera, gravissimâque peccata corrueret. p. 315.

23. Opta & pete à DEO, ut ex singulis verbis tuis, ex singulis passibus pedum tuorum, ex singulis motibus corporis tui, & ex singulis buccellis, quas edendo sumis, exultet eximia laus Conditoris: opta & pete, ut singulæ respirationes tuæ die ac nocte DEUM honorent atq; glorificent, eique amorem exhibeant, revera enim fiet, quod rectè & sanctè optaveris atque petieris. p. 562.

24. Ob id potissimùm nos odio habere debemus, ut anima nostra evacuata nostri amore, impleatur amore DEI. Hæc est sum-

SEPTEMBER.

summa sublimitas, quam hic habere possumus, ut oderimus omnia nostra sensualia desideria, atque ita in nostra voluntate regnet sublimis voluntas DEI, sive ipse DEUS. p. 267.

25. Qui alicujus orationibus congruâ pietate ac fide se commendat, fructum sancti desiderij sui apud DEUM consequitur, etiam si is, cujus preces expetierat, orare pro ipso negligat. p. 691.

26. Mortem præmeditari, & ad eam diligenter se præparare vera sapientia est. Et felix eris, si mortis horam semper & ubique expectans ita vigilaveris, ut nihil in conscientia tua residere permittas, quod tibi jam morituro anxium timorem incutere possit. p. 726.

SEPTEMBER.

27. Noli esse remissus, sed exurge, vigila, circumspice, exponere te totum, ne tibi malè pepercideris. Hoc enim à te exposcit DEUS tuus, hoc à te exigat status tuus. p. 652.


28. Quando ingluvies, & inordinatus appetitus te acrius sollicitat, cogita quàm citò transeat, & quàm perniciosa sit blandiens voluptas. Certè si tu illam effrænate secutus fueris, atque expleveris, eâ transactâ omnino dolere debebis; si verò pravam cupiditatem propter DEUM refrenaveris, teque mundum servaveris, gaudebis utiq; in conscientia tua. p. 560.

29. Cum caelestes Spiritus clarè videant & cognoscant, quàm admirabili, immenso, atque ardenti amore & tuus. & ipso-

SEPTEMBER.

ipsorum Dominus te prosequatur, hinc etiam & ipsi tantâ te dilectione complectuntur, ut à nullo id dignè queat exprimi. p. 265.

30. Quidquid in hoc mundo delectat, quidquid in hoc mundo est, in cælo est: Et quod ibi est, longè sublimius, longè præstantius est, quàm quod hîc est. Omnis voluptas, quæ hîc corpore, sive sensibus corporis hauritur, non nisi remotissima, obscurissima, obtusissimaque imago est illius sincerissimæ voluptatis, quam spiritus rationalis spiritui increato unitus sentit. p. 699.



OCTOBER.

NUNQUAM Mater erga
I 4 uni-

OCTOBER.

unicè dilectum filium suum regendum, custodiendum, tuendumque ita vigilavit, uti Angelus tuæ speciatiim custodiæ à Domino deputatus: nam nocte & die, omni loco & tempore in cunctis causis & necessitatibus tuis, summa cum fidelitate tibi adest, & ne ad momentum quidem unquam à te recedit. p. 265.

2. Sicut peregrinus ad patriam properat, ubi eum chari illius amici expectant magno cum desiderio & amore, ita tu quoque festinare debes ad illam patriam supernam, ubi omnes videre te cupidissimè appetunt, omnes fællicem præsentiam tuam medullitus, & ex animo suspirant, avidè operantes salutare te amicissimè, accipere blan-

OCTOBER

blandissimè, atq; in jucundissi-
mam sodalitatem suam æternè
admittere: p. 401.

3. Vita ista, quamlibet lon-
ga sit, æternitati comparata,
quàm brevis est! vix momen-
tum temporis dici debet, quàm
citò transcurrunt, avolant, &
decidunt ea, quæ in hoc mun-
do sunt! Quid obsecro, tibi
prodesset, si modo divitijs, ho-
noribus, delitijs, voluptatibusq;
mundanis afflueres, & postea
mittereris in ignem æternum.
p. 559.

4. Si non admisisti gravia
peccata, tu certè ob bonitatem
DEI, quæ te in illa ruere non
permisit, & tibi virtutem bonè
vivendi præstitit, præclariorem
habet causam te humiliandi,
quàm habeat is, qui post perpe-

OCTOBER.

rationem multorum criminum veniam obtinuit, & in gratiam receptus est à Domino. p. 568.

5. Aperiamus, quæso, oculos, & videamus, utrum æquum sit, cum Deus ac Dominus noster ob peccata nostra, & ad nostram doctrinam tam male tractatus, tantasque injurias ac persecutiones perpeffus fuerit, ut nos omni pudore abjecto ipsum deseramus, & non solum re ipsâ non feramus in ejus obsequium, ullam pœnam, aut injuriam, sed nec voluntatem ferendi habeamus, neq; hoc meditemur, aut desideremus, imò nec velimus, ut de eâ re quisquam nobis loquatur. p. 267.

6. Quando homo ex humana fragilitate distrahitur,
Deoq;

OCTOBER.

Deoque negligentius intendit,
non idcirco arbitretur, oratio-
nes suas prorsus inutiles esse, &
rejici ab ipso Domino, qui pro
sua ineffabili clementia omnia
opera nostra æternâ remunera-
tione digna reputat, si pij su-
mus, & voluntatem nostram ab
eo non avertimus, frequentérq;
dolemus pro his, quibus nos de-
ficere cognoscimus. p. 691.

7. Quando ridere compel-
leris, non nisi continenter &
monasticè rideto, ita ut risus
tuus vix risus dici possit. Ca-
chinnum tanquam ingens
propositi tui impedimentum,
atque altum animæ præcipiti-
um fuge, sciens, quia risus ex-
cussus, indisciplinatusque clau-
stra pudoris violat, & dissipatis
interioribus Spiritûs Sancti gra-
tiam

OCTOBER.

tiam è corde profligat. p. 668.

8. Si rorandum tibi requiescere conceditur, sed adhuc perstrepunt, & vim faciunt brutales motus, passionésque turbulentæ, imò verò si DEO sic permittente per omnem vitam pro tua utilitate cum hujusmodi hostibus tibi colluctandum fuerit, noli diffidere, noli muliebriter dejici, sed humilians te coram Domino, sta & permanc in loco tuo, strenueque dinica. p. 652.

9. Tam nobiliter condita est anima tua, ut eam totus iste mundus fatiare nequeat. Res transitoria, bona infima, nunquam te fatiabunt, sed solus DEUS, qui est summum & perenne bonum, fatiabit te. Quod quidem plene tunc tibi continget,

OCTOBER.

get, quando in cælum receptus videbis DEUM sicuti est. p. 559.

10. Profectò nihil optabilius inter præsentis exilij labores atque ærumnas homini verè pio esse potest, quàm mentem circa opus Redemptionis nostræ occupatam habere, apud benignissimum JESUM assiduè conversari, ambulare cum eo, & cum Virgine Matre, charisque discipulis ejus, contemplari gratiosum vultum illius, verba vitæ ac monita salutis ex mellifluo corde ejus suscipere. p. 421.

11. Hæc verba: FIAT VOLUNTAS TUA, & jucundissima, & DEO gratissima sunt; & quisquis ea dicere potest ex sententia, is nec turbari, nec inordinato moerore affici poterit,

OCTOBER.

sed in præcipua sui resignatione maximum gustum, pacemque præcipuam experietur. p. 268.

12. Dilectus tuus te tentari permittit, ut palam fiat, an verè diligas eum, & ut cæteris, qui tentationibus premuntur, compati discas. Ipse flagellat & conterit te, ut purget à vitijs, & ad majorem gratiam præparet. Ipse ad tempus quodammodo recedere videtur à te, ut nunquam superbias, sed semper agnoscas, quia sine eo nihil potes facere, revera tamen non recedit à te. p. 665.

13. Corpus istud corruptibile, quod in morte relinquis, velut amarus cortex nucis est, vile ac sordidum animæ vestimentum modò est. Quid ad te, si computrescat, si in cinerem
&

OCTOBER.

& favillam redigatur, ubi illud
deposueris. Securus exue ve-
stem, quam Deus tuus aliquan-
do restituet tibi integram, ful-
gidam atque incorruptibilem.
p. 697.

14. Nulla alia tam perfecta,
nulla tam sublimis oratio ab
homine excogitari potest,
quàm Psalmodia sacra. Anima,
quæ palatum internum infe-
ctum non habet, delicias in-
narrabiles in illa degustat. Bre-
viter, psalmodia carmen cæle-
ste est, & eos, à quibus sedulo
colitur, ex hominibus in Ange-
los transfigurat. p. 56.

15. Etiam modicus amor,
tenuisque affectus, quo quis
mortali creaturæ adhæret, &
verbulum otiosum, & buccella
cibi aliter, quàm oportuit, sum-
pta,

OCTOBER.

pta, atque aliæ hujusmodi minutiores offensæ & inordinationes non permittunt, ut Deus (qui est summa puritas) intimè uniatur animæ, nisi prius expientur. p. 325.

16. Si fortè piè petis ea, quæ tibi utilia non sunt, dabit Deus, quæ sunt utilia. Amantissimus Pater est, dum postulas aureum spiritualem, si denegat, quod postulas, facit hoc propterea, quòd tu parvulus nescires hujusmodi numò benè uti. Quoties tamen petis unum aureum, toties ille tibi centum reponit in cælis. p. 566.

17. O quàm stupendus & quàm inexplicabilis est summa Dei erga nos vermiculos amor, qui in Missæ Sacrificio quotidie cum numerosa Angelorum mul-

OCTOBER.

multitudine se mirè præsentem nobis exhibere dignatur, ita ut apud nos non minus verè sit ipse Dominus JESUS, quàm in cælis est. p. 693.

18. Quamdiu nox est tentationum, summo operè cave, ne otiosus, & negligens inveniaris. Si non libet orare, psallere vel meditari, insiste lectioni. Si etiam ad lectionem nauseat animus, scribe, aut in aliquo alio externo opere ad tempus. utiliter te occupa, vanarum cogitationum strepitus sedulò interim rejiciens. p. 665.

19. Tanta est Domini misericordia, ut dum quispiam peccator cum contritione & amore sese ad DEUM convertit, cuncta ejus peccata in immensæ benignitatis DEI abyssu citius ab-

OCTOBER.

absorbeantur, quàm possit oculus aperiri, vel claudi. p. 271.

20. Quidquid purè per obedientiam fit, quantumvis vile & abjectum esse videatur, Deus magnificat, & eximiâ mercede remunerat. Nullum opus DEO placere potest, cui inobedientia conjuncta est. Melius est sobriè & continenter ad gloriam Dei manducare, quàm rigidam antiquorum Patrum abstinentiam ex propria voluntate sectari. p. 357.

21. Anima quæ deliberatâ voluntate se ad pravitatem non convertit, gratiam Dei non amittit. Qui vel semel vanæ sui complacentiæ consentit, deformior in oculis Dei redditur, quàm si multis annis incidencias etiam pessimas, citra consensum sentiret. p. 564.

OCTOBER.

22. O si scires arcana Dei ;
quàm libenter alijs cederes.
quàm libenter ultimum locum
teneres ; quàm gratanter ad a-
liorum pedes te demitteres,
quàm alacriter etiam infimis
inservires ! quàm devotè om-
nes honorares ! quàm affectu-
osè sine aliqua mora , aut que-
rela obedires. p. 666.

23. Nihil est , quod fidelem
amantè inque animam in præ-
senti exilio magis exhilaret,
quàm quod sperat se (postquam
hujus vitæ stadium emensa fue-
rit) perventuram ad beatum
illum finem æternæ pacis , ubi
per omnia placebit Deo, ubi to-
ta illum possidebit , & ab illo
tota possidebitur. p. 698.

24 Nullus animum despon-
dere debet propterea , quòd in-
fir-

OCTOBER.

firmus sit, & seipsum satis abne-
gare nequeat. Quanto minus
se sentit humilem & resigna-
tum, tantò magis inde se hu-
miliet & abjiciat. Faciat, quod
in se est, & Deus illi aderit, e-
úmque habeat pro charo filio
suo. p. 271.

25. Nunquam Deus patitur,
ut vel levissimæ auræ flatus
corpora, vel minimæ cogitati-
onis molestia animas infestet
electorum suorum, sine ingenti
profectu salutis eorum, modò
ijdem Electi hoc, quod gravat,
humiliter & patienter ferant.
p. 678.

26. Tutissimum est, ut quid-
quid boni in extremo decessu
nos fecisse vellemus, id modò
sani incipiamus, nam ad mor-
tem usque illud protrahere, &
peri-

OCTOBER.

periculosum nimis & stultum
est. Vitam sanctam sancta mors,
& sanctam mortem æterna be-
atitudo consequitur. p. 336. 1

27. Vide ne tuis meritis &
laboribus donum Dei accepisse
credas, sed potius indignum te
judica (sicut revera indignus
es) omni gratia & consolatio-
ne, dignum verò omni confu-
sione atque derelictione. Non
comparaveris te cum inferiori-
bus & imperfectis, sed cum san-
ctioribus te confer, ut consi-
deratâ eorum perfectione, tu-
am imperfectionem melius a-
gnoscas. p. 666.

28. Vera sui abnegatio sua-
viter admodum resonat in au-
ribus Dei, atque majestatem e-
jus mirificè oblectat. Si vel u-
nicam salutationem Angeli-
cam

OCTOBER.

cam cum tui ipsius abnegatione ad perpetuam Dei laudem protuleris, ea & Deo gratior, & tibi utilior erit, quam si totum Psalterium sæpius ex propria voluntate, seu cum proprietate legeres. p. 562.


29. Quantum in nobis augetur charitas erga Deum, tantum & nostri crescit vilipendio: atque per amorem Dei perspicue intelligimus, quam injuste nos ipsos amaverimus. Ipsissima autem humilitas est interna quædam & profunda cordis coram celsissima Dei majestate inclinatio atque demissio. p. 270.

30. Nos peregrini & exules hic sumus, quare non infimis istis inhærere, nec ea perversè amare, sed patriam nostram, patriam

OCTOBER.

triam cælestem requirere, & ad æterna bona suspirare debemus. Neq; enim propter præsentem, sed propter futuram vitam Christiani sumus. p. 688.

31. Non facile alicui pertinaciter cor tædicat homo, neq; contendat verbis: sed ubi semel vel bis testimonium perhibuit veritati, si non recipitur, sinat deinceps alios sentire, quod volunt, & velut ignorans taceat, nisi periculum animarum ex silentio suo sequeretur: consuescat assertiones suas sub dubio proferre, veluti si dicat: puto ita esse, nisi fallor, ita est, p. 356.



NOVEMBER.

M I.
Emineris, Dominum nostrum

N O V E M B E R.

strum Jesum Christum, & bea-
tos Spiritus Angelicos, omnesq;
cæli cives esse humiles ac super-
biam detestari, cacodæmones
contra superbos esse, & humili-
tatem odio prosequi. Tu te illis
adjunge, ab istis separa. p. 557.

2. Mitte fidelibus anima-
bus, quæ in pænis purgatorij
adhuc detinentur, spirituales e-
leemosynas, orans devota men-
te pro illis. Quidquid pro ea-
rum absolutione & refrigerio
piè feceris, Christus, qui illas ar-
denter diligit, id ita accipiet,
quasi tu ad ipsum in carcere
positum venisses, eumque inde
liberare satégisses. p. 558.

5. Qui verè intus illuminati
& copiosius uncti à Spiritu San-
cto sunt, ineffabili perfundun-
tur gaudio, quando coram Ve-
nera-

NOVEMBER.

nerabili Sacramento Dominici
Corporis, & coram invisibili-
bus, gloriosissimisque illis Cœ-
li Principibus, Spiritibus An-
gelicis assistunt: nullus eis locus
in hoc mundo est gratior domo
orationis, adeò ut à templis san-
ctis ægrè plerumque avelli pos-
sint. p. 693.

4. Summè exultemus, dum
ab alijs malè tractamur, injuri-
is que aut calumnijs afficimur,
& magno ad DEUM, atq; etiam
ad persecutorem nostrum amo-
re exclamemus: unde hoc mi-
hi, ut in terra habeam, qui à me
ita auferat animæ meæ ulcera-
tionem, aut infectionem, sit que
mihi occasio, ut summis apud
DEUM opibus dicerè p. 268.

5. Nulla actio tam modica
est, quæ si ad DEUM purè refera-

G

tur,

NOVEMBER.

etur, non multum proſit animæ.
Unde qui etiam floſculum u-
num propter DEUM in altari
reponit, vel imaginem alicujus
Sancti, ſincerâ, devotâque in-
tentione exornat, grandem om-
nino mercedem recipiet. Sed &
qui caput tantummodò incli-
nat, aut flectit genu ad hono-
rem DEI, non perdet mercedem
ſuam. p. 562.

6. Sacratiffimæ Paſſionis Do-
mini memoria eſt dulcis animæ
conſolatio, indeficiens divini a-
moris incendium, omnium ad-
verſitatum condimentum, om-
nium virtutum fons, unde ad-
mos deriventur; denique totius
perfectionis abſolutiſſimum
exemplar, portus, ſpes, fiducia,
meritum & ſalus omnium Chri-
ſtianorum. p. 658.

7. Ple-

NOVEMBER.

7. Plerumque illa, quæ minus attenti, aut etiam quasi involuntarij sustinent Electi, pius Dominus eis ad æternam salutem convertit, ita ut eorum animæ ornentur talibus tamquam cupro, quibus tamquam auro & gemmis ornarentur, & ea æquanimiùs tolerarent. p. 678.

8. Ubiq; visum comprime: neque leviter huc atque illuc sine necessitate circumspexeris, ne videas, quod te à cordis puritate deturbare possit. Sed etsi periculum nullum immineat, ipsa tamen disciplina Christiana exposcit, ut sive quiescas, sive procedas, verrecundos, demissosque oculos habere consuecas. p. 667.

9. Quando homo pecca-

G 2

tum

NOVEMBER.

tum aliquod admittit, tunc non fugiat à facie DEI, ut anxius multa apud se cogitet de peccato suo, sed humiliter & confidenter ad DEUM conversus tractet cum eo de sua iniquitate & ingratitude, dulciter deplangens seipsum. Attendat suam abyssalem vilitatem ac miseriam, attendat & pietatem atque misericordiam DEI immensam, quæ animæ verè poenitenti, atque ab omni peccato plenè averse non potest non succurreatque ignoscere. p. 359.

10. Vera fiducia vel confidentia & amor erga DEUM thesaurus est longè præclarissimus, quo quidquid desideramus, aut possumus appetere, adeoque ipsa bona sempiterna mercari valemus: non enim potest sese
con-

N. O V E M B E R.

CONTINERE DEUS, quin his, in quibus thesaurus ille inest, præstet, quidquid rectè velint, utpote, qui in eo fauciatu est latere, ubi se tueri non potest. p. 271.

11. Dilige JESVM Christum, dulcem Creatorem & Redemptorem tuum, veras divitias tuas, & verum atque jucundissimum bonum tuum. Si non vales eum ardentè diligere, dilige ut potes, & quemadmodum ipse gratiam donare dignatur. Desidera, ut possis illum perfectè pro gratâ voluntate ipsius amare. p. 560.

12. Intellectus noster, qui quamdiu in hoc exilio degimus, imbecillis, hebesque est, divinæ Majestatis opera atque consilia. comprehendere nequit:

NOVEMBER.

quãt: proinde nec ea temerè
comprehendere velimus, repre-
hendere verò nullo modo au-
deamus. p. 694.

13. Perpende, obsecro, uti
Dominus JESVS ne unum qui-
dem temporis momentum un-
quam neglexerit, quod non ad
salutem tuam juxta Patris sui
voluntatem perfectè expende-
rit, faciens, ac perferens omnia
ex immenso, & pænè intem-
peranti amore, quo te ab æterno
dilexit. p. 422.

14. Cave, ne vento vanæ
gloriæ, aut auræ propriæ com-
placentiæ fenestram cordis tui
aliquo pacto aperias. Vide, ne
te jactites, vide ne passim osten-
tare gestias, quod accepisti, sed
secretum tuum tibi, secretum
tuum apud te permaneat. p.
666.

15.

NOVEMBER.

15. Si dulcedine internâ repletus, & supra teipsum elevatus, usque ad tertium cælum evolaveris, ibique cum Angelis miscueris colloquium, rem tam grandem non facies, sicut si gravamen & exilium cordis pro Deo tuo affectuosè sustinueris.

p. 654.

16. Si in silentio cordis tui tamquam in portu tranquillissimo assiduè commanens, mentem ab omni inordinata cura, affectione, pressiorique imaginatione rerum infimarum absolutam in Deum affectuosè dirigis ac reclinas, ita ut memoria tua, intellectus tuus, voluntasq; tua, id est, totus spiritus tuus ipsi Deo feliciter uniatur, totius perfectionis summam tenes. p.

671.

G 4.

17. Pa-

N O V E M B E R.

17. Paucis contentus esto, & simplicibus delectare, memor paupertatis, quam pro te assumpsit, tibi que commendavit Deus tuus. Tu discipulus, ille Magister; tu servus, ille Dominus. Gaudeat discipulus, dum imitatur Magistrum, exultet servus, dum sequitur Dominum. p. 688.

18. Multum Deo placemus, quando voluntatem ejus ita diligimus, & providentiæ ipsius tam plenam fiduciam nos in spiritus humilitate committimus, ut etiam nescire gaudeamus, quid ipse circa nos agat. p. 697.

19. Nihil dubita, etiamsi millies vulnereris, etiamsi millies conculceris, coronam recipies, si modo perstiteris, si modo conflictum non deserueris, &
arma

NOVEMBER.

arma non projeceris. Fac, quod
in te est, reliquum commenda
divinae dispositioni, spirituale
Martyrium invicto animo per-
fer. p. 653.

20. Dum morbo correptus
mortem jam vicinam expe-
ctas, recole passionem pijs-
simi Redemptoris tui: beatam ejus
crucem in spiritu amplectere;
osculare rosea illa vulnera, teq;
totum in eis imprime, ut ibi ab-
ditus feliciter evadere possis o-
mnes diaboli laqueos & insidi-
as. p. 695.

21. Talis a Deo facta est MA-
RIA Virgo, talis nobis data est,
ut nemo eam horreat, nemo re-
fugiat, nemo accedere ad eam
trepidet. Fieri non potest, ut
pereat, qui MARIAE sedulus &
humilis cultor fuerit. p. 18.

G 5.

22. Sicut

NOVEMBER.

22. Si impostori suggerenti,
ut te aliquid esse existimes, osti-
um cordis tui aperueris, jam fi-
dem, quam sponso animæ tuæ
dederas, infregisti, iam lectu-
lum dilecti, qui prius floridus e-
rat, commaculasti, nec iterum
ad beatissimam familiaritatem
ejus admitti poteris, nisi ejecto
citius adultero multum te hu-
miliaveris. p. 666.

23. Cum certum sit, nec fo-
lium quidem ex arbore deci-
dere absque divina providen-
tia, si nobis semper grata fuerit
ipsa Dei voluntas atque disposi-
tio, & eam sapienter in omni-
bus attendere voluerimus, non
nos dejiciet, quidquid nobis ac-
ciderit. p. 678.

24. Homo à Deo sic prote-
gitur, sic gubernatur, sic fovetur
die

NOVEMBER.

die ac nocte, quasi cæterorum
omnium oblitus curam ejus so-
lius gereret, à quo denique ad
vitam æternam gratuito ele-
ctus ita diligitur, ut sine illo ipse
beatus esse nolit. p. 688.

25. Quocunque te venteris,
ubicunque fueris, tribulationes
& tentationes invenies, quam-
diu hæc vita duraverit, ad quas
patienter tolerandas, semper te
paratum esse oportet. Felicem
verò te, si eò tandem à gratia
perductus fueris, ut quævis gra-
vedo & afflictio tibi verè sapiat
propter Deum. p. 653.

26. Rationabilem corpu-
sculi refectioem, non autem
voluptatem quærat homo, &
quamvis delectationem terre-
nam sentiat (sine qua refectio
corporalis ab homine famente

NOVEMBER.

vel sitiente nequaquam sumitur) non tamen eidem delectationi inhæreat, neque eam ad intima sua admittat. Non ob id manducet aut bibat, ut carnis concupiscentiis inserviat, & prava desideria expleat, sed ut naturam juvet, eique satisfaciatur. p. 688.

27. Ubicunq; contradictorem habes, ibi vel cede & file; vel si cedendum silendumque non est, cum modestia & humilitate affirma, quod tibi certum est. Sic enim omnis irreligiöse contentionis occasionem facilius sustuleris. p. 668.

28. Proxima, purissimâque ad Deum pertingendi via hæc est, ut quis cum ingenti amore & gratitudine Salvatoris intra se conversationem, passionemq;
cir-

NOVEMBER.


circumferat, atque illam moribus & vitâ intus ac foris exprimere curet, attentè considerans, in quo culpabilis, & vitæ Dominicæ dispar sit, ut suis imperfectionibus ex dilectione pro qualicumq; mortis Christi compensatione mori conetur. p. 425.

29. Quemadmodum terra, quæ convenientis naturæ est, ex conspersione sordentis fimi uberius aliquando sua germina profert, ita mens bonæ voluntatis ex miseria defectuum, quos invita sustinet, dulcissimum divinæ visitationis fructum suo tempore percipiet, si patienter sustinuerit. p. 653.

30. Qui Domino perfectè placere cupit, non expetet cum inordinata cordis inquietudine,

NOVEMBER.

re, vel impatientia in hoc peregrinationis loco grandes & singulares consolationes, quæ si à liberalitate Dei oblatae fuerint, humiliter & gratè eas excipiat, non tamen in illis, sed in illarum largitore Deo conquiescat. p. 678.



DECEMBER.

I.

Qui negotia sibi non commissa relinquit, & sollicitudinem de rebus ad se suumque officium non pertinentibus abjicit, quique ineptè avidus non est, ut aliorum secreta cognoscat, grandi pacis internæ beneficio fruetur. p. 686.

2. Non solum infra homines, sed & infra omnem creaturam

rain

DECEMBER.

ram propter Deum te in corde tuo constituas, reputans te cinerem abjectissimum, existimans te indignum, quem terra sustineat, & qui lumen videas. Penitius introspice, quam sis ingratus, infidelis, tepidus, instabilis, miser ac vilis, & ad humillimam animi depressionem poteris pertingere. p. 666.

3. Non tam parati ad peccandum esse possumus, quam ipse Dominus paratus est ad miserendum, si modò longanimitate ejus non fuerimus abusi, id est, si verè & tēpestivè pænitere voluerimus. Ita sentire debet, quicumq; Christianus est. p. 673.

4. Utilitas tua singularis ex lectione sacra nō in hoc sita est, ut doctrinæ verba memoriæ cōmendes, sed ut doctrinæ verborumq;

DECEMBER.

rúmque effectus in te remaneat, id est, ut tu ex doctrina puritatem interiore, paratamque voluntatem adimplendi mandata divina consequare. p. 656.

5. DEUS unice delectatur verâ humilitate & patientiâ, eiq; sæpè magis placet afflictionis amaritudo, laborisque gravamen (dum bona voluntas, sanctumque desiderium homini adest) quàm internæ dulcedinis affluentia. p. 690.

6. Ama JESUM, & escæ simpliciores tibi non minus, imò verò amplius suaves erunt, quàm epulæ regales. JESVS esuriens nudo pane sæpè pro te refectus est. Jesus sitiens aceto & felle pro te potatus est. p. 667.

7. Omnem mœrorem & anxietatem, omnem afflictionem &

DECEMBER.

& calamitatem, quam patitur homo, suis peccatis imputet, seq; dignum flagellis, indignum verò etiam minimâ consolatione esse agnoscat. Cogitet justum esse, sibi que utile, ut quoties declinando à rectitudine malè agit, gravaminibus, amaritudinibusque, tamquam salutari antidoto curetur. p.678.

8. Deus & Dominus gloriæ Jesus Christus ostendit se admodum mirabilem in amabilissima, longè que charissima Genitrice sua Virgine MARIA, cui similem nunquam fecit, neque facturus est creaturam dignitate, nobilitate, pulchritudine, majestate, omni que gratiâ & gloriâ. Eam ab omni peccato & macula tam originali, quam actuali ultra communem

DECEMBER.

nem conditionis humanæ modum præservavit. p. 264.

9. Vita Domini JESU Christianorum omnium liber est, quem ubicunque sumus, nobiscum circumferre, & passionem, mortemq; illius acerbissimam in nostra memoria absque ulla oblivione retinere debemus, ita ut summa dilectio & fidelitas ejus corda nostra delectatione atque amore afficiat, & sanctissima vita illius in amantibus animabus nostris semper recondita sit. p. 427.

10. Nimis æquum est, ut bono DEO tam dulci animarum nostrarum sponso integram cordis puritatem (quantum in hac vita licet) servemus. Tam liberalis benefactor, tamque ardens amator omnino redamandus.

DECEMBER.

clus est, propter eum transitoria
omnia despicienda sunt. p. 688.

11. Quando distractione
sensuum, dejectione animi, ari-
ditate cordis, dolore capitis, vel
quavis aliâ miseriâ ac tentatio-
ne affligeris, cave dixeris: dere-
lictus sum, abjecit me Domi-
nus, non placet ei meum obse-
quium; quæ filij diffidentia
dicere solent, sed patienti vel
etiam læto animo perfer om-
nia propter eum, qui te voca-
vit & elegit, certò credens, quia
ipse juxta est ijs, qui tribulato
sunt corde. p. 654.

12. Quidquid cælestis gra-
tiæ in alijs animadvertis, id non
ad livorem Sathanicum, sed ad
fidelem imitationem, piâmque
adgratulationem te excitet: Et
quamvis spirituale bonum,
quod

DECEMBER.

quod alium possidere cognoscis, ipse non possideas, lætare tamen apud te ipsum, quòd DEUS per illud honoretur. p. 669.

15. Imperfectus perfectorum sublimia opera admiretur, ac pro eis gratias DEO agat, & ex eorum consideratione confirmetur, ne in parvis bonis operibus, quæ agit, deficiat. p. 689.

14. In illa die non requiretur à te, quantum dulcedinis internæ hinc perferis, sed quàm fidelis in DEI tui servitio & amore fueris. Igitur in sancta longanimitate contine te ipsum, & expecta in silentio, donec placuerit altissimo aliter disponere. p. 654.

15. Beata & iterum beata.
coele.

DECEMBER.

coelestis illa Jerusalem, ubi est
omne, quod placere potest, &
unde abest omne, quod potest
displicere, ubi in sæcula sæculo-
rum feliciter laudatur DEUS
omnipotens. p. 662.

16. Injuriam seu contume-
liam tibi illatam, si cum lætitia
nondum ferre potes, non ta-
men propter illam insipienter
perturberis, neque irā excan-
descas, sed tranquillus perma-
nere stude, nam indigniora pro-
te DEUS tuus mansuetissime to-
leravit. p. 681.

17. Ad hoc præcipue tibi
adnitendum est, ut in libertate,
æqualitate, & puritate cordis,
omni proprietate rejectâ, paci-
ficus, imperturbatusque coram
DEO jugiter perseveres. Hoc e-
nim super omnia alia exercitio,
quan-

DECEMBER,

quantum vis etiam laboriosa & ardua ipsi Domino est acceptabile. p. 656.

18. Frustra ad spiritualem vitam assurgere nititur, qui gulam necdum refrænare conatur. Præcipuè vinum etiam citra ebrietatem largius sumpsum impedimento est: corpus incendit, interiora confundit, & alacritate Spiritûs coarctatâ pecuinum quendam torporem inducit. p. 667.

19. Qui beneficia sibi à DEO impensa sedulò recogitat, quomodo poterit erga illum tam ingratus esse, ut peccatorum sordibus eum offendere non metuat? quomodo non sese immaculatum illi servare studebit, à quo benignissimè conditus, misericordissimèque redemptus

DECEMBER.

demptus est? à quo custodiam
angelicam, & omnia tam spiri-
tui, quàm corpori necessaria à
prima ætate accepit, accipitque
quotidie. p. 688.

20. In tuis precationibus
post accusationem tui, & pec-
catorum petitam veniam præ-
cipuè postulabis à Deo, ut ma-
las passiones, vitiosasque affecti-
ones penitus in te mortificet, &
ab omni inordinatione perfe-
ctè denudet, detque gratiam,
quâ omnem tribulationem &
tentationem æquanimiter atq;
gaudenter portare possis. p. 657.

21. Omnem inordinatam
pusillanimitatem, & superfluos
conscientiæ scrupulos, perple-
xamque diffidentiam prorsus
rejicere adnitere, undecunque
emerferint, nam nisi statim am-
putas

DECEMBER.

putata fuerint, diversis modis
animi alacritatem præfocant,
& profectui interno non parùm
incommodant. p. 663.

22. Non in sola regione suæ
mentis solem gratiæ lucere, nec
se solum cælestia desideria ha-
bere existimet homo, sed in alijs
potiora Dei dona esse speret &
confidat, & latere aliquas virtu-
tes ipsi Domino cognitæ & ac-
ceptas. p. 689.

23. Cave summo opere, ne de
alicujus peccato etiam leviori,
aut de quavis adversitate un-
quam gaudeas ratione consen-
tiente, verùm ingemisce coram
Domino pro fratre tuo, recogiti-
tans, quia sumus invicem mem-
bra & unum corpus, omnes eo-
dem sanguine redempti. p. 669.

24. Qui fervet spiritu, &
mun-

DECEMBER.

mundum ac seipsum verè con-
temnit, is superflua, curiosa, &
exquisita ad suos usus non re-
quirit, minus potiùs, quàm am-
plius habere semper appetit:
pro his, quæ sibi desunt, vel ne-
gligentiùs administrantur, faci-
le non murmurat. p. 688.

25. Aspice, quæ habeat cu-
nabula Dominus Dominanti-
um: aspice Conditorem orbis,
infantulum in frigoris asperita-
te vagientem. Flecte genua an-
te divinum præsepium, ample-
ctere tenellos pedes Redempto-
ris tui, fige labia, & oscula ite-
rum atq; iterùm imprime. p. 19.

26. Semper cum sancto ti-
more in præsentia Dei tui assi-
ste, semper in auribus cordis tui
hæc verba resonent: ATTEN-
DE TIBI. Non multùm cu-
riose

DECEMBER,

riose consideraveris, quid alij agant, quales sint mores & gestus eorum. Circa te ipsum sit curiositas & occupatio tua. p. 669.

27. Non sibi adscribat homo, quod homo bonæ voluntatis est, nec ob id arroganter alijs se præferat, sed quoslibet etiam perversissimos sibi in corde suo præponat. Agnoscat, quia nisi ipse gratiâ Dei servaretur, atque protegeretur, mox deficeret in tentationibus, graviusque peccaret, quam illi: & quia si illi tantam gratiam à Deo accepissent, quantam accepit, minus fortè ingrati essent, quam ipse. p. 689.

28. Cujus sensualitas magis delectatur pomis & aquâ, quam vino & perdicibus, is laudabili-

us

DECEMBER.

us facit, si pro Dei amore à pomis & aqua abstinet (parùm aut nihil ex his gustando) quàm si abstineat à vino atque perdicibus. p. 356.

29. Solerter apud temetipsum per argumentosam quandam mentis simplicitatem permanere discere, ut strepitu levium cogitationum, motuque inordinatarum affectionum represso cor in silentio & libertate custodias. p. 668.

30. Vir benevolus & benignâ charitate præditus, certò cognoscens aliquem graviter peccasse, commiserescit: memoriâ repetens, quanta sit infirmitas & cæcitas humana, quantaque diaboli tentantis invidia atque malitia. Sed & hoc apud se recogitat, quàm ardenti desiderio

DECEMBER.

derio Dominus expetat & expectet tempus illud, quo peccator convertatur, & se corrigat.
p. 686.

31. Vitia, quæ in alijs vides, & de alijs audis, aut non esse omnino vera simpliciter putato, aut certè in meliorem partem ea interpretere. Quòd si tam manifesta sunt, ut in bonam partem interpretari nullam rationem possint, aspectum tuum cogitationemque tuam ab illis separare stude, sed ad tua ipsius peccata conversus, tam pro te, quam pro eis Deum humiliter deprecare, si datur oportunitas.

p. 669.



PARA-



PARADIGMA

*exhibens Sententias in varijs per di-
em occurrentibus Virtutum oc-
casionibus usurpan-
das.*

INTENTIO BONA.

ANtequam inchoes opus,
quod aggredi vis, conjice,
vel erige primū in interiorē a-
spectum in DEUM: & ubi sen-
seris, te idē illud velle agere,
quia DEUS vult & gratum ha-
bet, tunc demum opus incipe,
paratus id non agere, si scires,
DEO non placere. 24. Feb.

DEI PRÆSENTIA.

DEum misericordissimo, be-
nignissimoque oculo intue-
ri

PARADIGMA

eri ea, quæ creavit, persuasum habe, qui etiam ita tibi intendit, tui curam ita jugiter habet, quasi tu solus in toto terrarum orbe viveres. 19. Jan.

BONA VOLUNTAS.

Per voluntatem possum omnia: per hanc omnium labores sustinere, cunctos alere inopes, omnia omnium opera bona exequi, & quidquid demum boni cogitari potest, facere queo. Si enim hæc perfectè volo, & sola deficit exequendi facultas (libenter autem si possem, facerem, & quantum possum in his facere, non omitto) nimirum omnia coram Deo fecisse judicabor. 3. Martij.

CURA MINIMORUM.

Etiam si pietate ductus cervicem

PARADYGMA.

vicem tantum inclinaveris ante
Crucifixi Iesu imaginem, vel ad
Altare Genitricis DEI MARIÆ
Kosclos obtuleris, aut pedem
moveris propter charitatem,
non frustraberis à spe justæ mer-
cedis. 9. Martij.

ORATIO.

Qui desiderat proficere in
virtutibus ac placere DEO,
frequenter orare debet, si otium
ei suppetit: nam diligens oran-
di studium invehit in animum,
quidquid ei utile ac salutare. 8.
Junij.

PATIENTIA IN ADVERGIS.

Nihil unquam, quantumvis
parvum, pro DEI honore
patimur, quin nobis longè sit
utilius, quàm si totius mundi
dominio potiremur. Quamli-
bet

PARADIGMA.

bet enim exiguum sit, quod ad
DEI perpetimur gloriam, pro il-
lo tamen non minus nobis De-
us retribuet restituétq; , quàm
seipsum. 18. Martij.

HUMILITAS.

SITU non desideras, nec cona-
ris esse humilis , frustra tibi
persuades, quòd possideas chari-
tatem, & quòd amænam habi-
tationem in te inueniat Spiritus
Sanctus, qui non requiescit, nisi
super humilem. Humilitati
charitas semper conjuncta est,
& charitati humilitas : neque
fieri potest, ut quis charitatem
habeat, si humilis non sit. 17.
Iunij.

VOLUNTATIS CONFORMATIO.

CONstrue tibi per mentis
conceptum veluti habita-
culum

PARADIGMA.

culum quoddam ex solius di-
vinæ voluntatis materia, téque
in eo ita conclude, ut in omni-
bus, quæ agenda, vel omitten-
da occurrunt, cogites voluntatē
Dei te circumdare, secundum
quam vivere debes. 27. Aprilis.

SOLI TUDO.

Solitudinem diligat homo,
seamque convenienter co-
lat. Si enim superfluâ hominum
societate delectatur, si est im-
patiens silentij, si avidè inqui-
rit, quid dicatur, aut fiat, &
vanis rumoribus audiendis li-
benter vacat, frustra sibi vel in-
firmum sanctioris vitæ gradum
promittit. 4. Aprilis.

O B E D I E N T I A.

Nullus adeo aridus divinâ
gratiâ destitutus est, quin si

H 5

promp-

PARADIGMA.

Promptè propter Deum obedi-
re velit, vivere & florere, copio-
súmque fructum producere pos-
sit. Planè obedientia, quâ ho-
mo bonæ voluntatis se submit-
tit, & non vult ex seipso vive-
re, via ad cælum tutissima est,
per quam facillimè retia dia-
boli evaduntur. 10. Maji.

REFLECTIO PRANDII.

Quando ingluvies & inor-
dinatus appetitus te acri-
us sollicitat, cogita, quàm citò
transeat, & quàm perniciosa sit
blandiens voluptas. Certè si
teu illam effrænatè secutus fue-
ris, atque expleveris, eâ transac-
tâ omnino dolere debebis, si
verò pravam cupiditatem pro-
pter Deum refrænaveris, tē-
que mundum servaveris, gau-
debis utique in conscientia tua.

28. April.

Re-

PARADIGMA

RECREATIO.

POtes animum ad honorem
Dei remittere, sed eum di-
mittere non debes, ne dum à te-
ipso expulsus foris vagaris, ob-
lectatio spiritui contraria, seu
quævis passio comprehendat
te, & interiora tua dissipet, re-
pleatq; amaritudine. 28. April.

MORTIFICATIO.

SI duo homines in eodem iti-
nere constituti, elegantem
flosculum offenderent, quorum
alter cuperet quidem illum de-
cerpere, sed melius deliberans
diceret sibi ipsi: dimitte eum
propter Deum: alter verò ni-
hil præmeditatus carperet flo-
tem, iste quidem simpliciter
decerpendo non peccaret, sed
ille propter DEUM dimit-
tendo florem, tantum præ-

H. G.

de-

PARADIGMA.

decerpente obtineret¹ meritum,
quanta est distantia cæli à terra.
18. Aprilis.

EXCUSSIO TORPORIS.

UT Deus tibi adsit per grati-
am. vide ne tibi desis per so-
cordiam, Fac quod in te est,
exere manus, extende brachia,
confirma animum ad vitiorum
destructionem, ad perfectam
tui abnegationem, collige cor,
produc affectum, eleva mentem
ad æternorum contemplatio-
nem, præsentiam Dei ubiq; at-
tendere consuesce. 27. Junij.

LECTIO SACRA.

Verè mens boni hominis ex
spirituali doctrina multa,
præclarâque commoda recipit,
nam & conservatur munda, &
ignorantiam deponit, & tran-
quilla

PARADIGMA.

quilla redditur, & illuminatur,
& nutritur, & excitatur, & ro-
boratur, & eximium decorem
accipit. 21. Maji.

RESIGNATIO.

OMnino debemus permitte-
re, ut Deus in nobis opere-
tur, ac nobis donet, quidquid
vult, quando vult, & sicut vult.
Debemus permittere, ut nos de-
ducat per umbram mortis, &
tenebras inferni. Absurdum val-
de est, quotidie in Oratione Do-
minica dicere Domino Deo:
FIAT VOLUNTAS TUA, & tamen
perturbari, vel indignari, quan-
do illa fit. 4. Martij.

PUGNA CONTRA TENTATIONES.

Quamdiu nox est tentatio-
num, summopetè cave, ne
otiosus & negligens inveniaris.

Si

PARADIGMA.

Si non libet orare, psallere vel meditari, insiste lectioni, si etiam ad lectionem nauseat animus, scribe, aut in aliquo alio externo opere ad tempus utiliter te occupa, vanarum cogitationum strepitus sedulo interim rejiciens. 18. O & ob.

LAUS DEI IN OMNIBUS.

Opta & pete à Deo, ut ex singulis verbis tuis, ex singulis passibus pedum tuorum, ex singulis motibus corporis tui, & ex singulis buccellis, quas edendo sumis, exultet eximia laus Conditoris. Opta & pete, ut singulae respirationes tuæ die ac nocte Deum honorent atq; glorificent, eique amorem exhibeant, revera enim fiet, quòd rectè & sanctè optaveris atque petieris. 23. Septemb.

F I N I S.



I N D E X.

A.

Adversitas : quàm utilis sit, quo-
modo toleranda 1. & 26. Ian. 27.
Feb. 2. 19. 22. & 30. Martij 21.
& 29. Ap. 15. 16. & 23. Maij.
2. 6. 9. 20. & 22. Iun. 20. Iul.
3. 6. & 25. Aug. 25. Oct. 4. 7.
15. 19. & 25. Nov. 5. 7. 11. &
16. Decemb.

Abnegatio : 22. Ap. 1. & 13.
Maij. 6. & 20. Iul. 1. 2. 11. &
16. Aug. 28. Oct.

Actionum vicissitudo. 14. & 27.
Ian.

Amor DEI. 3. 12. 21. & 30. Ian.
13. & 17. Feb. 7. Martij. 19.
April. 15. Iun. 4. & 8. August.
11. Nov.

Amor proximi. 9. Feb. 12. Martij.



I N D E X,

23. Apt 7. Sept. 12. 13. 23. 30.
& 31. Dec.

Angeli. 8. Maij 29. Sept 1. Oct.

Anima prestantia. 1. 6. & 26.

Feb. 16. Ap. 27. Maij. 9. Octob.

Attentio in Oratione. 20. Sept.

B.

BEATA Virgo M. ARI A. 2. Feb.
25. Martij. 2. Julij. 5. & 15.

Aug. 8. Sept. 21. Nov. 8. Dec.

Beatitudo eterna. 21, Martij. 29.

Iun. 22. Iul. 18. Aug. 30. Sept.

2. & 23. Oct. 15. Dec.

C.

CHRI STVS. vide Passio & Vita
Christi.

Contemptus rerum caducarum 30.
Octob.

Contentio. 1. Iun. 31. Oct. 27. Nov.

Consolatio. 7. Aug. 30. Nov.

Contritio. 23. Iun. 4. Maij.

D.

I N D E X.

D.

Defectus humani 24. Ian. 8. Feb.
15. Mart. 3. Ap. 16. & 29.
Iul. 14. & 31. Aug. 8. Octob.
29. Nov.

Dei amor erga homines, 10. Ian. 25.
Feb. 6. Mart. 5. & 26. Ap. 27.
Aug. 24. Nov.

Dei amabilitas. 8. & 11. Ap. 3.
& 30. Maij.

Dei iudicia. 22. Ian. 11. Maij.

Dei maiestas. 30. Iun. 19. Sept.

Dei misericordia. 28. Mart. 7. Maij
10. Iul. 3. Decemb.

Dei praesentia. 2. & 19. Ian. 1.
Sept. 26. Decemb.

Dei providentia. 29. Aug. 23. Nov.

Desperatio. 18. Ian. 11. & 12. Iul.

Devotio. 28. Feb. 19. & 28. Iun.
26. Iul.

Diaboli suggestiones 17. & 29. Ian.
1. Mart. 24. Ap. 22. Nov.

E.

INDEX.

E.

Eucharistia 29. Mart. 14. Maij.
1. & 22. Iul. 3. Nov.

F.

Fervor. 27. Iun. 8. & 24. Iul. 23.
Aug. 27, Sept.

Finis hominis. 6. Ap.

Fiducia in DEVM. 19. Ian. 4. &
20. Feb. 13. Mart. 4 & 14. Iun.
4. Iul. 13. Aug. 10 Nov.

G.

Gloria caelestis, Vide, Beatitudo
aeterna.

H.

Humilitas. 5. 7. & 13. Iun. 20.
Ap. 29. Maij. 4. & 17. Iun.
3. Iul. 9. & 22. Sept. 4. 24. 27.
& 29. Octob. 1. Nov. 2. 22. &
27. Dec.

i. In-

INDEX.

I.

Intentio bona. 11. Ian. 23. & 24.
Feb. 9. & 27. Mart. 14. Ap. 1.
Maij. 23. Jun. 18. Jul. 19. 24. &
29. Aug. 23. Sept. 5. Nov.

Introversio. 14. Feb. 19. Mart. 17.
Jul. 9. 13. & 21. Sept. 16. Nov.
29. Dec.

Iudicium extremum. 26. Jun.

L.

Lachryma. 15. Feb.

Lectio sacra. 22. Maij. 11. Sept.
4. Dec.

M.

Miseria Vita humana. 4. Ian.
10. Ap. 12. Nov.

Missa. 17. Octob.

Mors. 5. Jul. 26. Sept. 13. & 26.
Oct. 20. Nov.

Mortificatio. 12. Feb. 9. & 18. Ap.
6. Maij. 13. & 31. Jul. 8. Nov.
28. Dec. Mul.

I N D E X.

Multiloquium. 13. Ap. 6. Sept.

Murmuratio. 16. Iun.

O.

Obedientia 15. & 31. Ian. 5. &
16. Mart. 20. Ap. 10. 20. &
31. Maij. 5. & 13. Iun. 9.
Aug. 21. Oct.

Odiū sui ipsius. 12. Ap. 2. & 24.
Sept.

Operum oblatio. 9. Iul. 22. Aug.

Oratio Dominica. 22. Maij.

Oratio. 9. & 20. Ian. 3. 18. & 22.
Feb. 8. & 23. Mart. 1. Ap. 9.
Maij. 8. Iun. 28. Aug. 15. &
25. Sept. 6. & 16. Oct. 20. Dec.

P.

Passio & vita Christi. 7. Ian. 19.
Feb. 11. 17. & 20. Mart. 4. 12.
& 17. Maij. 24. Iun. 7. 14. &
27. Iul. 12. Aug. 14. & 17.
Sept. 5. & 10. Oct. 6. 13. & 28.
Nov. & 25. Dec.

Passio -

I N D E X.

Paupertas. 17. Nov. 24. Dnce

Peccati enormitas. 4. Sept.

Peccati fuga. 17. Apr. 12. Sept.

15. Octob. 1. 9. & 19. Dec.

Peccatorum venia. 8. & 25. Jun.

11. & 21. Feb. 14. & 26. Mart.

7. Apr. 12. Jun. 15. Jul. 10.

Aug. 10. Sept. 19. Oct. 9. Nov.

Perfectio. 25. Julij.

Psalmodia. 24. Mart. 25. Jun. 6. &

16. Sep. 14. Octob.

Purgatorij anime. 2. Nov.

R.

Recreatio. 28. Ap.

Resignatio. 5. 10. & 16. Feb.

4. & 31. Mart. 29. Ap. 24. &

28. Maij. 11. & 18. Jun. 19. &

22. Jul. 17. & 20. Aug. 15.

Sept. 11. Oct. 18. Nov. 14. &

17. Dec.

Risus. 7. Oct.

S.

I N D E X

S.

Sanctorum cultus. 30. Julij.
Solitudo. 4. & 25. Ap. 1. Dec.
Superbia. 18. Maij. 10. Junij. 21.
Oct. 14. Nov.

T.

Temperantia. 28. Sept. 26. Nov.
6. & 19. Dec.
Tentatio. 3. Jun. 12. & 18. Oct.
21. Dec.
Tristitia 2. Maij.

V.

Vite brevitatis. 3. Oct.
Voluntas bona. 28. Jan. 7. Feb.
3. & 10. Mart. 15. & 30. Ap.
Voluntas Deiformis. 21. Jun. 21.
& 26. Maij.

F I N I S



lo
p.
ft.
p.
I.



APPENDIX
BREVIS,

EX

SVMMLIS

Seu

INSTITVTIONIBVS
DIALECTICIS.

Dd

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Benevole Lector. *Quidam*
tum religiosi tum seculares,
quibus breve hoc compen-
dium Philosophiæ placebat, deside-
rabant additas esse simili brevitatem
Institutiones Dialecticas, quas Sum-
mulas vocant, quorum desiderio
satisfacere volens, has breves In-
stitutiones ex aliorum Thomista-
rum Summulis collegi & adjeci,
quibus utere & vale.

Fr. Reinerus Pistorius, Ord.
Præd, SS. Th. Mag.

EX



EX SUMMVLIS
LIBRI TRES.

LIBER I.

De his, quæ spectant ad
primam mentis operationem,
quæ dicitur simplicium
apprehensio.

QVÆSTIO PRIMA.

De Signo, & ejus divisionibus.



Via Termini, ex quibus
conficitur, & in quos re-
solvitur propositio, per-
tinent ad primam mentis
operationem, ideo de illis hoc pri-
mo libro agendum: quia verò Ter-

minus significat, ideo prius agitur de signo; quærentur ergo tria: Primò, de signo & ejus divisionibus. Secundò, de Terminò & ejus divisionibus. Tertiò, de proprietatibus Terminorum.

ARTICVLVS VNICVS.

Quid sit Signum, & quomodo dividatur?

Resolutio Prima. Signum bene definitur esse id, quod potentia cognoscitiva aliquid aliud à se representat. Declaratur exemplo, v. g. campanæ sonus, quâ ad Scholas pulsatur, est signum, quia potentia nostræ intellectivæ aliud à se, nimiram lectionem futuram representat.

Res. 2. Signum primò dividitur in formale & instrumentale. Explicatur divisio. *Signum formale au-*

pet-

pellatur, quod seipso absque prævia sui cognitione aliquid repræsentat. hujusmodi signa sunt conceptus seu species expressæ ab intellectu, sicut etiam species impressa sensibilis in potentijs exterioribus respectu talium potentiarum, quia ista non prius cognoscimus vel sentimus, quàm per ea res ipsas cognoscamus vel sentiamus.

Signum instrumentale est, quod præsuppositâ cognitione sui aliquid aliud à se repræsentat; ut imago Christi Domini est signum instrumentale, quia prius ipsa cognoscitur, deinde verò res repræsentata per illam. Et hoc est propriè signum, de quo agimus in præsentibus, nam hoc modo voces dicuntur signa.

Ref. 3. Signum instrumentale diuiditur, in signum naturale, ad

484 *Institutiones Dialecticæ,*

placitum, & ex consuetudine. Explicatur. *Signum naturale est,* quod ex natura rei aliquid repræsentat, quavis impositione & consuetudine remota; & sic repræsentat idem apud omnes, vt fumus ignem. *Signū ad placitum* est quod repræsentat aliquid ex impositione voluntatis per publicam authoritatem; quomodo pulsus campanæ est signum lectionis; & hæc vox homo significat naturam humanam ex hominum voluntaria impositione. *signum ex consuetudine est,* quod ex solo usu repræsentat, sine publica impositione; sicut mappæ super mensam significant prandium.

Ref. 4. Signum ad placitum iterum diuiditur in manifestatiuum & suppositiuum simul: in proprium & improprium: in speculatiuum & practicum: in memoratiuum, demonstratiuum & prognosticuum.

Ex-

Explicantur singula membra diuisionis. *signum manifestatiuum tantum est*; quod rem aliquam potentiae cognoscitiuae repræsentat, sed pro illa re in oratione non ponitur, vt hædera ante domum appensa significat vinum venale, non tamen pro eo supponit in oratione; non enim dicimus in illo vase est hædera si sit vinum. *signum manifestatiuum & suppositiuum simul est*, quod & re repræsentat, & pro ea in oratione supponit; vt hæc vox vinum. *signum proprium est*; quando vox vsurpatur iuxta propriam significationem, quomodo hæc vox leo significat verum leonem quod est animal irrationale. *Improprium est*, quando vox significat per metaphoram & translationem, vt cum leo significat Christum, iuxta illud: vicit leo de tribu Iuda. *Signum speculatiuum est* quod tantum significat rem quandam &

non causat illam, vt imago Christi quæ repræsentat Christum, non autem Christum producit. *Practicum* est, quod causat id quod significat, quo modo v. g. annulus Regis potest dici signum sigilli in litteris impressi in cera: & talia censentur à Theologis Sacramenta nouæ legis, quæ gratiam significant & efficiunt in anima. Signum Rememoratiuum est, quod facit nos suâ præsentia recordari alterius, vt cum aliquis vult non obliuisci alterius, digitum filo ligat. *Demonstratiuum* est, quod aliquam occultam rem præsentem demonstrat; vt ramus ante tabernam est signum vini, quod ibi venditur. *Prognosticum* est, quod futura prænuntiat, huiusmodi est varius Solis color dum occidit, juxta illud Poëtæ:

Cæruleus pluuias denuntiat,
igneus Euros.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

*De Natura Termini, ejusq̄
diuisionibus.*

ARTICVLVS I.

Quid sit Terminus?

Resolutio. Terminus bene definitur esse id, *ex quo simplex conficitur propositio*, vel si imitari velimus Aristotelem, qui nomen, verbum & orationem per voces definit, quia sunt signa nobis notiora, potest definiiri hoc modo: *Terminus est vox significatiua ad placitum, ex qua simplex conficitur propositio vel oratio*. Explicatur hæc definitio. Dicitur primò, Terminus est *vox*. quæ particula ponitur loco generis, est enim superior ad omnes voces, tam significatiuas, quàm non significatiuas; & per illam excludun-

488 *Institutiones Dialecticæ;*

duntur à ratione Termini omnia signa, quæ non sunt voces, vt sonus campanæ, imago Cæsaris, &c. Dicitur secundo, *Significatiua*. quæ particula cum reliquis ponitur loco differentiæ; & per illam differt Terminus à vocibus non significatiuis, quales sunt v. g. Blitiri, Scindapsus, &c. Dicitur tertio, *Ad placitum*, & per illam differt Terminus à vocibus significantibus naturaliter, vt sunt gemitus infirmi, &c. Dicitur vltimo, Ex qua simplex conficitur propositio. Et hæc particula ponitur ad excludendam ipsam propositionem seu orationem, quæ non est primum elementum componens, sed est aliquid compositum & totum, & si aliquando componit, non simplicem sed hypotheticam propositionem componit.

AR-

ARTICVLVS II.

Quomodo diuidatur Terminus?

R Esol. 1. Terminus primò diuiditur in mentalem, vocalem, & scriptum. Explicatur. *Mentalis* est conceptus, ex quo simplex conficitur propositio. *Vocalis* est vox significatiua ad placitum, ex qua simplex conficitur propositio. *Scriptus* est scriptura ad placitum significans, ex qua simplex conficitur propositio. De termino vocali in præsentì præcipua est consideratio.

Res. 2. Terminus vocalis diuiditur in vniuocum & æquiuocum, in categorematicum & syncategorematicum, & mixtum. *Terminus* vniuocus dicitur, qui sua significata vnico conceptu significat, vt ly, homo, significat omnes homines, vt conueniunt simpliciter in eodem.



490 *Institutiones Dialecticæ,*

conceptu naturæ humanæ. *Terminus* verò *æquiuocus* dicitur, qui sua significata non eodem sed pluribus conceptibus significat; vel qui plura significat nullo modo conuenientia, secundum quod per nomen significantur, vt ly canis respectu canis latrabilis, marini & cœlestis, quibus vt sic nihil commune est, nisi solum nomen. *Terminus categorematicus* (qui idem valet Latinè ac significatiuus seu prædicatiuus) est ille, qui aliquid per se significat; seu qui in propositione est integrum subiectum & prædicatum, vt in hac propositione homo est animal, homo & animal sunt termini categorematici. *Terminus syncategorematicus* (qui idem valet ac consignificatiuus; vel qui aliquo modo significat) est ille, qui licet separatus à categorematico, non significet aliquid per se; iunctus tamen categor-

gorematico facit illum aliter significare, vt hæc velociter, faciliter, omnis, nullus. simile etiam potest dari de consonantibus per se non significantibus, sed junctæ vocalibus, aliter & aliter faciunt significare. Appellatur etiam hic Terminus modus subiecti & prædicati, quia per se non potest esse subiectum vel prædicatum, sed tantum illa modificare, & hoc est aliquialiter & non aliquid significare. Denique Terminus mixtus dicitur, qui virtualiter includit duas voces, quarum altera est terminus categorematicus, altera verò syncategorematicus, vt nemo, id est nullus homo.

Ref. 3. Terminus categorematicus rursus diuiditur in Terminum communem & singularem. Terminus communis subdividitur in Non transcendentem, Transcendentem, & Supertranscendentem.

Sin-

492. *Institutiones Dialecticæ,*

Singularis verò subdiuiditur in Col-
lectiuum, Determinatum, Demon-
stratiuum, singularem ex supposi-
tione & vagum. Explicatur. *Ter-
minus communis* est, qui significat
plura diuisim, vt ly, homo, quod si-
gnificat omnes homines, & potest
diuisim de illis prædicari, vt Petrus
est homo, Paulus est homo, &c. vbi
nota, quod ad rationem termini
communis sufficiat, quod ex modo
sux significationis non repugnet
ipfi supponere pro pluribus: vnde
ly Sol, Luna, mundus, & hoc no-
men Deus, sunt Termini commu-
nes. *Terminus singularis* est, qui
vnum tantum significat, vt Petrus,
hic homo. *Terminus communis non
transcendens* est, qui non de omni-
bus, sed de aliquibus tantum prædi-
catur, vt homo. *Transcendens* est,
qui in omnibus rebus inuenitur, &
significat omnia non determinans
ad

ad aliquid in particulari significandum, & tales communiter sex enumerantur, scilicet Ens, Res, verum, bonum, aliquid, vnum. & hi dicuntur transcendentes, quasi supra omnia ascendentes, & eorum ultimas differentias penetrantes. *Supertranscendens* est, qui tam ea quæ sunt, quam ea quæ non sunt significat, vt cognoscibile, imaginabile &c. *Terminus singularis collectivus* est, qui significat plura copulativim in singulari numero, taliter quod repugnet ei supponere pro pluribus diuisim, vt populus, civitas, gens, &c. *Terminus singularis Determinatus* est, qui significat aliquam rem determinatam, vt Petrus, & omnia nomina propria. *Demonstrativus* est, Terminus communis affectus pronomine demonstratiuo, vt hic homo. *Singularis ex suppositione* est, qui facta aliqua suppositione vnum tan-

494 *Institutiones Dialecticæ,*

tantum significat, quamuis possit plura significare, vt Filius MARIÆ Virginis significat Christum, supposito enim quod Beatissima Virgo non habuerit alium Filium quàm Christum, sane illa oratione Christum significabo. *Terminus singularis vagus est*, qui significat vnum, sed non determinando, an sit hoc vel illud, vt quidam homo.

Ref. 4. *Terminus categorematicus* rursus subdiuiditur; in Absolutum & connotatiuum; concretum & abstractum; primæ intentionis & secundæ intentionis; complexum & incomplexum; finitum & infinitum. *Explicatur.* *Absolutus* est, qui significat aliquid per modum per se stantis ad modum substantiæ, siue in se substantia sit, vt homo, siue accidens & sine subiecto concipitur, vt albedo. *Connotatiuus* est, qui significat aliquid per modum alteri adia-

adiacentis vel inhærentis, vt album, vestitum, cæcum, &c. Terminus *concretus* est, qui significat formam vt in habente, siue vt in subiecto, vel aliquid constitutum vt *Quod*, sicut homo, qui significat humanitatem vt in supposito: album quod significat albedinem vt in subiecto. *Abstractus* est, qui significat tantum ipsam formam, seu vt *Quo*, vt humanitas, albedo, &c. Ex quo patet, non esse idem connotatiuum & concretum, sicut nec connotatiuum & adiectiuum, sicut nec absolutum & abstractum; homo enim est concretum & absolutum; Pater autem v. g. creator, & similia sunt connotatiua, non tamen adiectiua. Terminus *primæ intentionis* est, qui significat rem aliquam secundum id, quod habet à parte rei, vt homo. *Secundæ intentionis* est ille, qui significat rem secundum id, quod ha-
bet

496 *Institutiones Dialecticæ,*

bet ex consideratione intellectus; ut genus, species, &c. *Complexus* est, cuius partes separatæ significant iuxta significationem totius, ut homo albus. unde excluduntur à ratione termini complexi illa nomina, quorum partes separatæ significant, aliter tamen quàm in toto, ut Dominus, Sacerdos, Magister, &c. *Incomplexus* seu simplex est, cuius nulla pars separata significat, ut homo, leo, &c. *Infinitus* est, qui afficitur negatione infinitante, ut non homo. *Finitus* est, qui tali negatione caret, ubi nota duplicem esse negationem, unam, quæ tantum afficit terminum, & dicitur Infinitans, quia reddit terminum infinitum, ut non homo; aliam, quæ afficit copulam, ut lapis non est homo, & dicitur negatio negans, semperque efficit propositionem negatiuam, & hæc est malignantis naturæ,

turæ, destruit enim quicquid post se inuenit.

Ref. 5. Si comparentur termini ad inuicem, diuiduntur in consequentes siue pertinentes, & in inconsequentes seu impertinentes. *Impertinentes* sunt, quorum vnus non infert alterum, nec repugnat illi, vt album & dulce, doctus & iustus. *Pertinentes* verò sunt, quorum vnus infert alterum, vt animal & viuens: vel repugnat illi, vt album & nigrum. *Pertinentes* primo modo dicuntur *pertinentes sequela*, sed secundo modo dicuntur *pertinentes repugnantia*. Rursum *pertinentes sequela* alij sunt *conuertibiles*, quando scilicet se mutuo inferunt, vt homo & rationale: alij sunt *non conuertibiles*, quando scilicet non est mutua illatio, licet sit ex vna parte, vt homo & animal. *Pertinentes verò repugnantia* alij sunt qui licet sint

498 *Institutiones Dialecticæ,*

sint diuersi, non tamen verò oppositi, & dicuntur *disparati*, vt homo & bos. Alij verò sunt propriè *oppositi*; vel contrariè vt album & nigrum; vel contradictoriè, vt album & non album; vel priuatiuè, vt lux & tenebræ; vel relatiuè, vt pater & filius.

QVÆSTIO III.

De Proprietatibus Terminorum.

S Ex numerantur Proprietates Terminorum, scilicet Suppositio, Ampliatio, Restrictio, Alienatio, Diminutio, & Appellatio. De prima in hoc & sequenti articulo, de reliquis in tertio & quarto agemus.

ARTICVLVS I.

*Quid sit Suppositio, & quomodo
diridatur?*

Resol.

R Esol. 1. *Suppositio est usus siue acceptio Termini, loco alicuius. siue est acceptio Termini pro se vel pro suo significato. vel denique vt alij definiunt: Est acceptio Termini pro aliquo, de quo verificatur, juxta exigentiam copulae.* Cum enim, vt ait Arist: 1. elench. c. 1. res ipsas per se in disputationem afferre non possumus, vtimur Terminis pro rebus, & illarum loco voces statuimus.

Res. 2. *Suppositio diuiditur primò in materialem & formalem. Explicatur. Materialis est acceptio Termini pro seipso, estque duplex, vel intrinseca, quando est acceptio Termini pro seipso secundum ea, quæ sibi conueniunt ab intrinseco & naturaliter, vt in hac propositione, homo est vox: vel extrinseca, quando est acceptio Termini pro seipso, secundum ea, quæ sibi conueniunt solum ab extrinseco, vt in hac*
pro-

500 *Institutiones Dialecticæ,*

propositione, homo est nomen; in hac autem suppositione voces non exercent officium signi, sed materialiter se habent in propositione. *Suppositio formalis* est usus vel acceptio Termini pro suo significato, seu loco rei significatæ, & dicitur talis, quia voces tunc sumuntur formaliter ut signa.

Resol: 3. *Suppositio formalis* dividitur in propriam & impropriam: propria verò in simplicem, & realem seu personalem, personalis in communem & discretam. *Explicatur.* *Propria* est usus termini pro re quam propriè significat ex hominum instituto, ut usus huius nominis, homo, pro animali rationali. *Impropria* siue metaphorica est usus termini pro re quam metaphoricè significat, ob aliquam eius similitudinem, cum suo proprio significato, ut usus huius nominis, Nero, ad significandum homi-

hominem crudelem. Suppositio formalis *simplex* est usus termini pro suo primo & immediato significato præcisè; & hoc accidit, quando subiectum propositionis est terminus primæ intentionis, prædicatum autem secundæ, vt in hac propositione, homo est species, ly enim homo, supponit pro natura humana in communi, quam primo & immediatè significat, & non pro Petro aut alio indiuiduo, alias propositio esset falsa. Hoc etiam contingit in terminis singularibus, vt in hac propositione Petrus est indiuiduum: vnde ob suppositionem simplicem ambæ istæ consequentiæ sunt falsæ: homo est species, ergo Petrus est species. Petrus est indiuiduum; Ergo homo est indiuiduum. Suppositio *realis seu personalis* est usus vel acceptio termini non solum pro primo est immediato significato, sed etiam

tiam

tiam pro secundo & remoto, vt in his propositionibus: homo est animal: homo currit: vbi ly, homo, non solum supponit pro natura humana, sed etiam pro indiuiduis eius. Quando hæc suppositio inuenitur in terminis communibus, dicitur *suppositio realis communis*: si autem in terminis singularibus, vt cum dico Petrus studet, vocatur *suppositio realis discreta*.

Resol: 4. Suppositio realis communis diuiditur in naturalem & accidentalem. Explicatur. *Accidentalis* est vsus termini pro existentibus secundum tempus denotatum per copulam, vel secundum exigentiam prædicati, vt in hac propositione, homo disputat, ly homo ratione copulæ supponit pro hominibus præsentibus, & ratione prædicati supponit pro viris, disputare enim non conuenit mulieribus, & hæc
 sup-

suppositio solum reperitur in propositione de materia contingenti. *Naturalis* verò est usus termini pro omnibus suis significatis independenter à tempore, & hæc contingit in propositionibus de materia necessaria vel naturali, vt homo est animal; in quibus copula est dicitur absolui à tempore, adeòque hæ propositiones sunt æternæ veritatis.

Resol: 5. Suppositio communis iterum diuiditur, in distributiua, copulatiua, determinatam & confusam. *Distributiua* est usus termini communis pro omnibus suis significatis seorsim & copulatiuè sumptis, vt in hac propositione, homo est animal. *Copulatiua* est usus termini communis pro omnibus suis significatis, non seorsim sed simul & collectiue sumptis, & in hac propositione; Apostoli Christi sunt duodecim. *Determinata* est usus ter-

E e

mini

mini communis pro omnibus suis significatis seorsim sed disiunctiue tantum sumptis, vt aliquis homo est albus, quæ si resoluatur, non dicitur, hic homo est albus, & ille homo est albus, sed tantum, vel hic vel ille homo est albus. *Confusa* est usus termini communis pro omnibus suis significatis simul & disiunctim sumptis, ita tamen vt non supponat determinatè pro aliquo sed confuse pro omnibus simul at sub disiunctione sumptis, vt ad equitandum requiritur equus: quæ si exponatur, facit hunc sensum; vel hic vel ille equus requiritur; quod si ad aliquem equum determinaretur esset falsa propositio.

Resol: 6. Suppositio distributina iterum diuiditur in illam, quæ est pro singulis generum quæ dicitur completa, & est usus termini communis, non solum pro omnibus specie-

cie-

ciebus, sed etiam pro omnibus indiuiduis eorum; sic supponit animal in hac propositione: omne animal est viuens. Et in illam quæ est pro generibus singulorum, quæ dicitur incompleta, & est vsus termini communis pro omnibus speciebus, non tamen pro omnibus indiuiduis earum: vt in hac propositione: omne animal fuit arca Noë, id est, ex omnibus speciebus aliquod animal fuit in arca Noë.

ARTICVLVS II.

Quot & quæ sint regulæ ad cognoscendas suppositiones.

Resolutio. Sex ponuntur regulæ ad cognoscendas suppositiones. *Prima est.* Quando terminus communis nullo signo afficitur & propositio est in materia contingenti, supponit determinatè, vt in

E e 2

hac

506 *Institutiones Dialecticæ,*

hac propositione: homo currit: si autem propositio fuerit in materia naturali aut remota, supponit distributiue, vt homo est rationalis. *Secunda*, signum vniuersale affirmatiuum subiectum quod immediate afficit facit supponere distributiue, prædicatum vero confuse, vt in hac: omnis homo est animal. Si vero signum fuerit vniuersale negatiuum, tam prædicatum quàm subiectum supponunt distributiue; vt in hac, nullus homo est equus. Nota tamen quod ab huius regulæ prima parte excipitur suppositio copulata, quæ non variatur ratione signi vniuersalis, vt omnes Apostoli sunt duodecim, vbi ly Apostoli non supponit distributiue sed copulate. *Tertia*, Signum particulare affirmatiuum facit terminum proximum supponere determinate, remotum vero relinquit, ac si nullum signum esset

esset ante propositionem, vt in hac :
aliquis homo est animal : si autem
signum fuerit particulare negati-
uum, terminum quidem proximum
facit supponere determinatè, remo-
tum verò distribuit ratione negatio-
nis, vt in hac : aliquis homo non est
albus. *Quarta*, Terminus affectus
pluribus signis eodem modo suppo-
nit, atque in sua æquipolenti pro-
positione; quæ autem signa æqui-
polleant, infra dicetur. *Quinta*,
Signa mixta ex vniuersali & parti-
culari partim terminum vniuersali-
zant, partim particularizant, ideo-
que partim distribuunt, partim de-
terminant terminos immediatos,
vt in hac : alter oculus est dexter ;
cuius sensus est : omnium duorum
oculorum, vel iste, vel iste est dexter.
Quando autem termini sunt mixti
ex categorematico & syncategore-
matico, de illis iudicandum est, ac

308 *Institutiones Dialecticæ,*

si categorema & syncategorema forent disiuncta, vt in hac, semper homo disputat, tempus inclusum distribuitur, reliqui termini supponunt confusè. *Sexta*, Quilibet terminus cui applicatur actio verbi per numeralia bis, ter, &c. supponit confusè, vt bis cantavi Missam, vbi ly Missa supponit confusè, nam remanet sensus confusus, an cantauerit duas Missas, vel eandem bis cantauerit: & hæc signa appellantur specialis confusionis.

ARTICVLVS III.

Quid sit Ampliatio, Restrictio, Alienatio, & Diminutio?

Resolutio I. Ampliatio est Extensio termini à minori ad maiorem suppositionem. Estq; duplex, alia temporum, alia suppositorum. *Ampliatio temporum* est, quando

NON

non solum terminus supponit pro tempore importato per copulam, sed etiam pro alio tempore, vt rosa est flos corruptibilis, vbi ly Rosa, non solum supponit pro rosa existente hoc tempore designato per copulam, est, sed etiam pro rosa, quæ potest esse in aliquo alio tempore: dantur autem apud Logicos quinque temporis differentia, scilicet: præsens, præteritum, futurum, possibile & imaginarium. *Ampliatio suppositorum* est, quando suppositio termini extenditur ad plura subiecta, vt iusti resurgent gloriosi: ly iusti, non solum supponit pro iustis, qui nunc sunt, sed se extendit ad illos etiam, qui fuerunt & erunt. Ultima ampliatio reperitur solum in terminis communibus; prima autem reperitur etiã in singularibus.

Ref. 2. Restrictio est coarctatio termini à maiori ad minorem suppositi-

510 *Institutiones Dialecticæ,*

positionem. Hæc quatuor modis fieri potest: *Primo*, per additionem casus obliqui, vt doctrina D. Thomæ est præstantior alijs. *Secundo*, per appositionem termini adiectiui, vt homo Europæus. *Tertio*, per appositionem substantiui minus communis, vt animal Elephas est irrationale. *Quarto*, per appositionem alicuius aduerbij, vt currit velociter.

Ref. 3. Alienatio est translatio termini à propria ad impropriam significationem, vt vicit Leo de Tribu Iuda, vbi ly Leo transfertur ad significandum Christum.

Ref. 4. Diminutio est deductio termini ab integra ad non integram significationem, quod fit per appositionem alicuius particulæ diminuentis, vt Petrus est albus secundum dentes, vbi ly albus, quod poterat stare simpliciter, diminuitur per ly, secundum dentes, & hoc solet vocari

cari dictum secundum quid : aliquando etiam terminus totaliter detrahitur à sua significatione, vt homo irrationalis est brutum, & hoc dicitur propriè Remotio.

ARTICVLVS IV.

Quid & quotuplex sit Appellatio, & quæ regula ad dignoscendum supra quem terminus fiat appellatio?

R Esol. i. Appellatio est applicatio significati formalis vnius termini ad significatum alterius. Pro huius definitionis intelligentia nota, terminum concretum habere duplex significatum, vnum materiale, aliud formale, vt album v. g. habet materiale significatum ipsum subiectum, in quo est albedo; formale verò ipsam albedinem, quæ est in subiecto. Appellatio ergo est appli-

§ 12 *Institutiones Dialecticae,*

applicatio significati formalis vnius termini, ad significatum siue materiale siue formale alterius. Terminus qui applicatur, dicitur appellans; ille verò cui applicatur, dicitur appellatus.

Ref. 2. Appellatio diuiditur in materialem & formalem. Explicatur. *Materialis* est, quando applicatur significatum formale vnius termini supra significatum materiale alterius, vt in hac propositione: Petrus Philosophus est magnus; Iy magnus, non applicatur Petro ratione Philosophiæ, quæ est forma in Petro, sed ratione corporis, quod se habet materialiter in hac propositione. *Formalis* est, quando applicatur significatum formale vnius super significatum formale alterius, vt in hac propositione: Petrus est Philosophus magnus; vbi Iy magnus, non appellat super Petrum.

ratio-

ratione corporis, sed ratione Philosophiæ.

Ref 3. Ad dignoscendum supra quem terminum fiat appellatio, assignantur quinque Regulæ. *Prima* est, quando subiectum est terminus concretus, prædicatum autem terminus connotatiuus, tunc hic appellat supra materiale subiecti, unde ista propositio est hæretica: Christus est creatus; ista verò ob eandem rationem vera: Christus est æternus. *Secunda*, Quando subiectum propositionis constat ex substantiuo & adiectiuo, & prædicatum est adiectiuum, tunc prædicatum appellat supra substantiuum: si autem subiectum constet tantum termino substantiuo, & prædicatum duobus adiectiuis, tunc vltimum appellat supra primum, & vtrumque supra subiectum. Exempla adducta sunt resolutione secundâ.

Ter-

514 *Institutiones Dialecticæ,*

Tertia, Quando prædicatum est terminus secundæ intentionis, appellat super immediatum subiecti, & facit supponere simpliciter, vt homo est species. *Quarta*, Verba significantia aliquem actum siue internum, siue externum, applicant suam significationem supra formale termini, cui junguntur, vt Petrus facit domum, non significat, quod faciat materialia domus, sed tantum formam. *Quinta*, Nomina numeralia, vt duo, tria, &c. applicata terminis substantiuis, non appellant solùm supra significatum materiale, sed etiam supra formale, & ideo vtrumque multiplicant; vnde ista est hæretica: In diuinis sunt tres Dij. Si autem talia nomina applicentur nominibus adiectiuis, solùm appellant supra significatum materiale rerum & illud tantum multiplicant, vnde hæc est vera & Catholica:

ca.:

ca : In diuinis sunt tres æterni, si ly æterni accipiatur adiectiuè, non verò si accipiatur substantiuè, quomodo sumit Athanasius in Symbolo, dum ait : Et tamen non tres æterni, sed vnus æternus.

Nota hic, quod in argumento est mala consequentia, si variatur appellatio termini; circa quod valde vigilandum est, nam in his variationibus fundantur plures fallaciæ Sophistarum.

LIBER II.

De his, quæ spectant ad secundam mentis operationem.

Post considerationem vocum simplicium, quæ pertinent ad primam mentis operationem,

F f

agen-

516 *Institutiones Dialecticæ,*
agendum est de propositione, quæ
ex illis constat, & pertinet ad se-
cundam mentis operationem, pro-
positioni autem siue orationi solùm
deseruiunt nomen & verbum intra
terminos Logicæ, quia Logicus in
oratione solùm intendit verum,
discernere à falso, quod sufficienter
fit per nomen & verbum. In præ-
senti ergo quærantur quatuor: *Primò,*
Quid sit nomen. *Secundò,*
Quid sit verbum. *Tertiò,* Quid &
quotuplex sit oratio, vbi etiam de
modo sciendi, qui oratio quædam
est, agitur. *Quartò,* Quid & quotu-
plex sit propositio.

QVÆSTIO I.

De Nomine.

ARTICVLVS VNICVS.

Quid sit Nomen?

R Esol. Nomen ex Aristot. lib.
1. periherm. cap. 1. definitur,
quod

quod sit vox significatiua ad placitum, sine tempore, cuius nulla pars separata significat finita ac *Recta*.
Explicatur. Dicitur primo, *vox significatiua*, vt excludantur voces non significatiuæ, vt blitiri, scindapsus. Dicitur secundò, *ad placitum*, vt excludantur signa naturalia, vt vagitus pueri. Dicitur tertio, *sine tempore*, de quo quæst. seq. Dicitur quartò, *cuius nulla pars separata significat*, vt excludatur oratio, cuius partes separatæ significant. Dicitur quintò, *finita*, vt excludantur nomina infinita. Dicitur vltimò, *Recta*, vt excludantur casus obliqui.

Ex quo patet hic nomen exactissimè definiri, prout deseruit propositioni scientificæ; & propterea in hac definitione excluduntur à ratione nominis termini complexi, infiniti, syncategorematici, & obliqui,

518 *Institutiones Dialecticæ,*

qui cùm sint termini tantum secundùm quid, sic etiam sunt nomina tantum secundùm quid.

QVÆSTIO II.

De Verbo.

ARTICVLVS VNICVS.

Quid sit Verbum?

R Esol. Verbum ex Aristotele vbi supr. cap. 2. sic definitur: Est vox significatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars separata significat, finita & recta, & est semper eorum, quæ de altero dicuntur, nota. Priores partes huius definitionis explicatæ manent ex dictis quæst. præcedenti: vt autem explicetur ista particula, *cum tempore*, sciendum est, ista esse valde diuersa, significare tempus, connotare tempus, & significare cum tempore.

pore. Significare tempus dicitur illud, quod est institutum ad significandum tempus, vel aliquam eius partem, vt hæc nomina, tempus, annus, dies, hora, &c. Connotare tempus dicitur illud, quod significat aliquid inferens, aut concernens aliquod tempus, ex eo, quod determinato tempore fieri soleat, vt ientaculum, prandium, merenda, cœna. Significare autem cum tempore dicitur illud, quod significat aliquam actionem vel passionem in actu exercito fieri in tempore, & illam significat prout in illo fit, vt orat, studet. Significare ergo tempus, vel connotare tempus, conuenit nomini; significare verò cum tempore, conuenit soli verbo, & participio: Differt autem verbum à participio per sequentes particulas; *Et est semper eorum, quæ de altero dicuntur, nota*; nam licet par-

520 *Institutiones Dialecticæ,*

tiçipium significet cum tempore, nunquam tamen potest esse copula propositionis, siue unio extremorum, vel signum vnionis attributi cum subiecto. Dicitur vltèrius *finita*, per quam particulam excluduntur verba infinita, vt non lego, quia nihil determinatè significant, cum possint conuenire tam enti, quàm non enti. Denique per ly *Recta*, intelligitur præsens, indicatiui modi, & excluduntur alia tempora & modi; nam Aristoteles loco citato agit de verbo, quod per se, & independenter ab alio potest enunciare veritatem: quod autem alij modi non enuncient veritatem, patet consideranti, nam nec affirmant aliquid, nec negant: de alijs verò temporibus constat, quod enunciant veritatem dependenter à præsentì: nam hæc est vera, homo orauit, quia aliquando fuit verum dicere, homo orat:

orat : & similiter ista est vera, homo orabit, quia aliquando verum erit dicere, homo orat.

QVÆSTIO III.

De Oratione.

ARTICVLVS VNICVS.

Quid & quotuplex sit Oratio?

R Esolut. 1. Oratio definitur ab Aristotele, vbi sup. c. 4. quod sit vox significatiua, ad placitum, cuius aliqua pars separata significat. Per primam partem definitionis conuenit oratio cum nomine & verbo, vt patet : per vltimam verò partem ab illis distinguitur, vt etiam patet ex supradictis. *Ly* autem, significare, vt notat S. Thomas, sumitur in rigore, prout conuenit soli termino categorematico, & distinguitur à consignificare, quod con-



§ 22 *Institutiones Dialecticæ,*

uenit termino syncategorematico. Hoc posito dicendum, quod sufficit ad rationem orationis, aliquam eius partem significare, siue esse terminum categorematicum: unde istæ sunt veræ orationes, omnis homo, nullus homo.

Resolut. 2. Oratio diuiditur in Enunciatiuam & non Enunciatiuam. *Oratio Enunciatiua* est illa, quæ affirmat vel negat aliquid, & vocatur propositio, & semper fit per verbum indicatiui modi, vt homo orat, homo non orat. *Non Enunciatiua* est illa, quæ nihil affirmat vel negat, siue in qua non est veritas vel falsitas, siue sit *oratio perfecta*, quæ generat perfectum sensum, & relinquit animum audientis quietum; quales sunt orationes imperatiui & optatiui modi, quæ tamen non enunciant verum vel falsum: siue sit *oratio imperfecta*, quæ scilicet
non

non generat perfectum sensum, nec relinquit quietum animum audientis, ut homo albus, & orationes subiunctivi & infinitivi modi. Sub oratione non Enunciatiua comprehenduntur tres modi sciendi, ideoque de illis paucis agendum.

QVÆSTIO IV.

De Modis sciendi.

ARTICVLVS I.

*Quid & quotuplex sit modus
Sciendi?*

R Esol. i. Modus sciendi definitur, quod est *oratio ignoti manifestatiua*, in qua definitione ly *oratio*, est genus, quia multæ dantur aliæ orationes, quæ non sunt modi sciendi: aliæ particulæ sunt differentiæ, per quas modi sciendi distinguuntur ab alijs orationibus & pro-

524 *Institutiones Dialecticae,*

positionibus. Per *ly ignoti*, intelligitur quodcunque siue sit complexum, vt homo est risibilis; siue incomplexum, vt homo, lapis, &c.

Res. 2. Modus sciendi est triplex, scilicet definitio, diuisio, & argumentatio: ita vt per argumentationem manifestetur ignotum complexum: per definitionem autem ignoti incomplexi essentia; per definitionem denique eiusdem ignoti incomplexi partes; & sicut non restat aliquid aliud sciendum, sic non sunt plures, quàm hi tres modi sciendi.

ARTICVLVS II.

Quid & quotuplex sit Definitio?

Resolut. 1. Definitio est *Oratio naturam rei explicans*; seu quod quid est significans. *Ly oratio*, ponitur loco generis, nam in hoc
con-

conuenit cum alijs modis sciendi; per alias autem particulas constituitur particularis modus sciendi, & ab alijs distinguitur: per ly autem *significans* vel *explicans*, debet subintelligi clarè & distinctè, nam etiam voces significant naturam rei, etiam quando sunt simplices, sed significant tantum confusè.

Ref. 2. Definitio diuiditur primò in definitionem nominis, & definitionem rei. Secundò, in essentialem causalem & accidentalem seu descriptiuam. Explicatur. *Definitio rei* est, quæ explicat naturam alicuius rei; vt homo est animal rationale. *Definitio nominis* est, quæ explicat significationem alicuius nominis seu vocis, vt dum dicitur, fari est idem ac loqui; ad hanc reducitur Ethymologia, vt si dicatur lapidem sic denominari à lædendo pedem. *Essentialis* est, quæ traditur

526 *Institutiones Dialecticae,*

per partes essentielles, scilicet genus & differentiam, & hæc vocatur etiam essentialis Metaphysica seu Logica. *Causalis* est, quæ datur per aliquam causam, & vocatur etiam Physica, quæ si detur per causas intrinsecas, materiam scilicet & formam, dicitur essentialis Physica: si autem detur per causas extrinsecas, efficientem scilicet & finalem, est quidem Physica, sed non essentialis, cum sit per aliquid extrinsecum. *Accidentalis* seu descriptiva est, quæ datur per genus & aliquam propriam passionem, ut homo est animal risibile; vel per aliqua accidentia communia, ut homo est animal pulchrum, bipes, implumè habens caput erectum.

Ref. 3. Quinque dantur regulæ seu leges bonæ definitionis. *Prima* est, ut si fieri potest, tradatur per ea, quæ sunt naturâ & nobis notiora, quia

quia definitio debet esse clarior suo definito, aliàs non esset ignoti manifestatiua. *Secunda* est, quod definitum non debet ingredi definitionem; aliàs enim idem esset notius & ignotius seipso. *Tertia*, definitio non debet esse superflua nec diminuta; nam si sit superflua, parit potius confusionem, quàm claritatem: si diminuta, non explicat totam essentiam definiti. *Quarta* & principalis, quod debet constare genere & differentiâ; vel ad minus aliquo supplente vices generis & differentiae, cùm sic habeat aliquid commune cum alijs, & aliquid proprium, per quod distinguitur ab alijs. *Quinta & vltima*, quod definitio conuertatur cum definito, & è contra: cùm enim definitio contineat totam essentiam rei, & essentia vnus non sit essentia alterius, consequens est, quod definitio vnus nulli alteri potest conuenire. AR-

ARTICVLVS III.

Quid & quotuplex sit Diuisio?

Resol. 1. Diuisio est *Oratio*, totum in suas partes distribuens; seu multiplicatē in aliquo existentem explicans. Res, quæ diuiditur, appellatur diuisum: partes, in quas diuiditur, dicuntur membra diuisiua: oratio verò, quæ tales partes explicat, dicitur diuisio.

Res. 2. Triplex est diuisio, potentialis, actualis, & accidentalis: cum enim diuisio diuidat totum, hinc iuxta diuersos modos totius sunt diuersæ diuisiones: totum autem est triplex, scilicet potentiale, actuale, & accidentale. Diuisio potentialis seu vniuersalis est illa, qua totum vniuersale diuiditur in illas partes, quas sub se continet in potentia: & hæc est duplex, alia totius
vni-

vnivoci in suas partes subiectiuas, vt animal, aliud est homo, aliud leo, &c. alia analogi in sua analogata, sicut Ens respectu Dei & creaturæ. Diuisio actualis est illa, quâ totum diuiditur in suas partes, ex quibus actu componitur: si illæ partes sint Physicæ, dicitur diuisio actualis Physica, vt hominis alia pars est anima, alia corpus: si partes sint Logicæ, vt genus & differentia, dicitur diuisio actualis Logica, vt hominis alia pars est animal, alia rationale: si partes sint integrantes, dicitur diuisio actualis integralis; vt hominis alia pars est caput, alia pectus, &c. Totum autem integrale aliud est homogeneous, quod habet partes eiusdem rationis, aliud est heterogeneous, cuius partes sunt diuersæ rationis. Diuisio accidentalis est, quando totum accidentale diuiditur in suas partes, & hoc con-

530 *Institutiones Dialecticae,*

contingit varijs modis. *Primo*, quando subiectum diuiditur in accidentia, vt homo alius albus, alius niger, &c. *Secundo*, quando accidens diuiditur in sua subiecta, vt alborum aliud est nix, aliud lac, &c. *Tertio*, quando accidens diuiditur in accidentia, vt dulcium aliud album, aliud nigrum. Sed ista potest ad potentialem, vel ad illam, quâ subiectum diuiditur in accidentia, reduci.

Ref. 3. Tres assignantur regulæ seu leges bonæ diuisionis. *Prima* est, quod membra diuidentia sint opposita siue distincta re vel ratione; nam vna pars non potest esse alia, vnde in qualibet diuisione debent saltem esse duo membra diuidentia. *Secunda* membra diuidentia sigillatim accepta non debent æquè pateri ac totum: simul verò sumpta, debent illud adæquare, & non excedere, ratio est, quia totum est maius

maius qualibet suarum partium, sed non omnibus simul sumptis. *Tertia*, diuisio debet tradi per pauca membra, quia multiplicitas causaret potius confusionem, quam claritatem; vnde ordinariè traditur per membra contradictoria, ita vt assumatur membrum principale, cum eius negatione, vt animal aliud rationale, aliud irrationale.

ARTICVLVS IV.

Quid & quotuplex sit Argumentatio?

Resolut. i. Argumentatio est Oratio, in qua vnum ex alio inferri denotatur; seu est oratio explicans illationem vnius ex alio, vt Petrus currit. ergo mouetur. vbi nota, quod non sufficit ad argumentationem, quod aliquid possit inferri ex alio, sed debet explicari talis illatio

532 *Institutiones Dialecticæ,*

latio, vnde non argumentaretur., qui diceret, Petrus currit & mouetur, nam licet ad cursum Logicè sequatur motus, tamen in hac oratione non denotatur motum inferri ex cursu. Aduerte præterea, quod in qualibet argumentatione tria reperiuntur. *Primum* est illud, ex quo infertur aliud, quod si sit vnica propositio, dicitur antecedens: si fuerint duæ; prima secundum se seu vniuersalior dicitur maior, secunda minor. Alterum quod reperitur, est illud, quod infertur ex alio, & dicitur consequens. Tertium est nota illationis, & dicitur consequentia, nam denotat consequens inferri ex antecedente vel præmissis: Nota autem illationis est triplex, scilicet conditionalis, rationalis, & causalis: conditionalis fit per particulam, si; vt si Petrus currit, mouetur. Rationalis fit per particulam, ergo, vel,

vel, igitur; vt Petrus currit, ergo mouetur. Causalis denique fit per particulam, quia; aut similem, vt quia homo est admiratiuus, est risibilis. adeoque est triplex argumentatio, inter quas rationalis est præcipua.

Ref. 2. Argumentatio rationalis diuiditur in quatuor species, scilicet Syllogismum, Enthimema, Inductionem, & Exemplum. *Syllogismus* est argumentatio constans tribus propositionibus, maiori, minori, & consequentia, vt omnis homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal. *Enthimema* est argumentatio, in qua ex vna propositione, quæ vocatur antecedens, infertur alia, quæ vocatur consequens, vt Petrus currit: ergo mouetur. *Inductio* est argumentatio, in qua ex singularibus sufficienter enumeratis infertur aliquod vniuersale, vt hic homo

534 *Institutiones Dialecticae,*

homo ridet, & ille ridet, & sic de
cæteris. ergo omnis homo ridet.
Exemplum est argumentatio, in qua
ex vno vel pluribus particularibus
sive singularibus infertur aliud sin-
gulare simile, vt Christus pepercit
Magdalenaë pœnitenti. ergo & tibi
parcet si pœnitueris. verum de argu-
mentatione plura infra Lib. 3.

QVÆSTIO V.

De Propositione.

ARTICVLVS VNICVS.

Quid & quotuplex sit Propositio?

R Esol. 1. Propositio ex Aristo-
tele loco citato essentialiter
definitur, quod sit *Oratio Enunciati-
ua*. ab alijs verò sic definitur: Pro-
positio est *Oratio Verum vel falsum
significans*, sed hæc definitio est acci-
den-

dentalis, cum veritas & falsitas sint proprietates propositionis.

Ref. 2. Propositio diuiditur primò in simplicem & compositam; sine in categoricam & hypotheticam. *Propositio simplex seu categorica* est illa, quæ constat subiecto prædicato, & copula tanquam vnione. Subiectum aliquando constat vno tantum termino, aliquando verò constat vnâ oratione, vt homo iustus diligit Deum; aliquando etiam constat vnâ propositione, vt homo, qui est iustus, diligit Deum; & hoc non obstat, quin sit propositio simplex, nam prima propositio habet solùm vicem subiecti, & copula, quæ in ea reperitur, dicitur copula implicationis, siue minus principalis; quia ex ea non consideratur veritas vel falsitas propositionis, sed ex secunda, quæ ideo dicitur principalis: aliquando in propositi-

positione categorica non explicatur prædicatum, sed includitur in verbo, ut homo orat; idem quippe valet, ac homo est orans. *Propositio composita siue hypothetica* est illa, quæ constat propositionibus tanquam partibus principalibus aliquâ unione unitis, ut Magister docet, & discipulus audit. Hæc diuisio est analogi in analogata, ut docet S. Th. super hunc locum Aristotelis.

Ref. 3. *Propositio categorica* diuiditur in affirmatiuam & negatiuam. *Affirmatiua* est illa, quæ aliquid de aliquo affirmat, & respondet iudicio intellectus, quod appellatur compositio. *Negatiua* verò est illa, quæ aliquid de aliquo remouet, & respondet iudicio intellectus, quod dicitur diuisio: hæc diuisio est generis in species.

Ref. 4. *Propositio* ratione materiæ diuiditur in necessariam, contin-

tingentem & impossibilem. *Necessaria* est illa, quæ enunciat rem, quæ aliter se habere non potest, vt homo est animal. *Contingens* est illa, quæ enunciat rem, quæ aliter se habere potest, vt omnis homo est albus, aliquis homo est albus. *Impossibilis* est, quæ enunciat rem, quæ sic se habere non potest, vt homo non est animal, vel, homo est lapis. Nota hic hæc esse valde diuersa: propositio est in materia naturali, & propositio est necessaria, nam hæc: homo non est animal; est in materia naturali, & tamen est impossibile; vnde in materia naturali omnis affirmatiua est necessaria, negatiua verò impossibile: è contra verò in materia remota (quæ dicitur, quando prædicatum repugnat subiecto) negatiua est necessaria, affirmatiua verò impossibile.

Ref. 5. Propositio ratione quantita-

tita.

538 *Institutiones Dialecticæ,*

titatis diuiditur in vniuersalem, indefinitam, particularem & singularem. *Vniuersalis* est illa, cuius subiectum est terminus communis affectus signo vniuersali; vt omnis homo est substantia; nullus homo est lapis. *Indefinita* est illa, cuius subiectum est terminus communis, nullo affectus signo, vt homo est substantia. hæc in materia naturali & remota æquiualeat vniuersali: In materia verò contingenti, æquiualeat particulari. *Particularis* est illa, cuius subiectum est terminus communis, affectus signo particulari, vt aliquis homo est albus. Denique *Singularis* est illa, cuius subiectum est terminus singularis, siue determinatus, vt Petrus orat; siue ex demonstratione, vt hic homo orat; siue ex suppositione, vt Filius Beatissimæ Virginis **MARIÆ** est Christus.

.Ref.

Ref. 6. *Propositio* ratione qualitatis diuiditur in veram & falsam: vera est illa, quæ enunciat rem, sicuti est in se; falsa autem, quæ enunciat rem aliter, quàm est in se.

Ref. 7. *Propositio hypothetica* diuiditur in copulatiuam, disiunctiuam, & conditionalem, ad quam reducuntur rationalis, causalis, & si sint aliæ similes. *Copulatiua* est illa, cuius partes principales vniuntur coniunctione copulatiuâ, cuiusmodi sunt, Et, ac, atque, nec, &c. vt homo est sensibilis, & petra insensibilis. Ad eius veritatem requiritur, quod vtraque pars sit vera. ad possibilitatem, quod partes sint compossibiles, vnde ista est impossibilis, Petrus orat & non orat. *Disiunctiua* est, cuius partes principales vniuntur coniunctione disiunctiuâ, quales sunt, vel, aut, seu, siue, &c. vt vel Petrus orat, vel studet: Ad



340 *Institutiones Dialecticæ,*

eius veritatem sufficit, quod altera pars sit vera. *Conditionalis* est, cuius partes principales vniuntur particulâ, si, vt si Sol lucet, dies est. *Rationalis* est, cuius partes vniuntur per particulam, ergo, igitur, &c. *Causalis* est, cuius partes principales vniuntur per particulam, Quia, aut similem, sed hæ non sunt propriè propositiones, sed potius argumentationes. Ad veritatem harum propositionum requiritur generaliter, quod consequens sequatur ex antecedenti: insuper ad veritatem rationalis necesse est, vt antecedens sit verum, ob cuius defectum ista est falsa: Equus est homo, ergo est animal. Ad veritatem causalis debet antecedens esse causa consequentis: vt autem propositio conditionalis sit vera, sufficit bonam esse illationem, licet antecedens & consequens sint falsa; nam conditionalis nihil ponit

ponit in esse: vnde ista est vera: si
homo ~~potest~~ alas, potest volare.

QVÆSTIO VI.

De Proprietatibus Proposi-
tionum.

Secundùm quod propositiones
inter se comparantur, resul-
tant quædam earum proprie-
tates, scilicet, Oppositio, **Æ**quipol-
lencia, & Conuersio, de quibus pau-
cis agendum.

ARTICVLVS I.

*Quid & quotuplex sit Oppositio
Propositionum simplicium?*

Resolutio prima. Oppositio est
affirmatio & negatio eiusdem
de eodem. Siue est repugnantia in-
ter propositionem affirmatiuam &
negatiuam eiusdem prædicati &

542 *Institutiones Dialecticæ,*

subiecti. ita Aristoteles vbi supra
cap. 4. ex qua definitione colligi-
tur, ad oppositionem requiritur vt co-
pula principalis in vna propositione
sit affirmatiua, in altera verba nega-
tiua; item in eadem propositione
debere remanere idem prædicatum
& subiectum in nomine, in re signi-
ficata, in integritate, in tempore &
in loco.

Resol: 2. Oppositio propositio-
num est Quadruplex; alia enim est
contradictoria, alia contraria, alia
subcontraria, alia subalterna. De-
claratur. *Oppositio contradictoria est,*
quando vna propositio est vniuersa-
lis affirmatiua, alia particularis ne-
gatiua, vel è contra; vt omnis ho-
mo est animal, aliquis homo
non est animal: nullus homo est a-
nimal, aliquis homo est animal.
Contraria, quando ambæ propositio-
nes sunt vniuersales, vna affirmati-

ua, alia negatiua, vt omnis homo est animal, nullus homo est animal. *Subcontraria*, quando ambæ sunt particulares, vna affirmatiua, alia negatiua, vt aliquis homo est animal, aliquis homo non est animal. *Subalterna* autem non est simpliciter dicenda oppositio, quia in ea non est affirmatio & negatio eiusdẽ de eodem, cum in ipsa ambæ propositiones sint affirmatiuæ vel negatiuæ: est tamen inter ipsas aliqua oppositio, cum propositiones habeant diuersam quantitatem, nam vna est vniuersalis, alia particularis, vt omnis homo est animal, aliquis homo est animal: Nullus homo est animal, aliquis homo non est animal: vbi particularis cum contineatur sub vniuersali, est ei subalternata, & dicitur talis: vniuersalis verò dicitur subalternans, quasi sub se habens particularem.

544 *Institutiones Dialecticæ,*

Nota hic circa oppositionem contradictoriam id quod diximus de propositione vniuersali & particulari verum habere, quando subiectum propositionis est terminus communis supponens realiter seu personaliter: si autem subiectum sit terminus singularis, vel communis supponens simpliciter, aut copulatè, aut confusè, aut determinatè, tunc in vtraque propositione manet idem omnino & inuariatum subiectum, vnde istæ sunt contradictoriæ: Petrus orat, Petrus non orat. homo est species, homo non est species: omnes Apostoli sunt duodecim, omnes Apostoli non sunt duodecim: ad videndum requiritur oculus, ad videndum non requiritur oculus: si autem mutaretur quantitas non essent contradictoriæ, vt omnes Apostoli Christi sunt duodecim; aliqui Apostoli Christi non sunt duodecim.

ratio.

rationem huius vide apud S. Thomam opusc. 48. cap. 8.

Resol: 3. Pro oppositione dantur quatuor regulæ. *Prima*, pro contradictorijs est; quod in nulla materia possunt esse simul veræ aut simul falsæ; sicut enim impossibile est, idem simul esse & non esse; ita est impossibile, quod idem affirmetur & omnino negetur de eodem simul; idem enim esset & non esset. *Secunda* pro contrarijs est, quod in nulla materia possunt esse simul veræ, alias duæ contradictoriæ essent simul veræ; possunt tamen esse simul falsæ in materia contingenti; vt omnis homo est albus, nullus homo est albus. *Tertia* pro subcontrarijs est; quod non possunt esse simul falsæ; bene tamen simul veræ in materia contingenti; vt aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus. ratio primæ partis est, quia
alias

546 *Institutiones Dialecticae,*

alias sequeretur duas contradicto-
rias simul esse falsas, vt consideran-
ti patebit. *Quarta* pro subalternis
est. In materia naturali, si vna sub-
alterna est vera, alia etiam est vera;
& similiter si vna est falsa, alia eti-
am est falsa: In materia verò con-
tingenti vniuersalis potest esse falsa,
& particularis vera, sed non è con-
tra. Ex quo patet quod ex veritate
subalternantis sequitur veritas sub-
alternatæ; non autem ex falsitate
subalternantis sequitur falsitas sub-
alternatæ: è contra verò ex falsita-
te subalternatæ sequitur falsitas sub-
alternantis, non tamen ex veritate
subalternatæ sequitur veritas subal-
ternantis, vt consideranti patebit.

ARTICVLVS II.

*Quid sit Equipollentia propositio-
num, & quæ eius regula?*

Resol.

Resolut. *Æquipollentia*, est eadem vis & significatio duarum propositionum procedens à diuersis signis. Hæc *æquipollentia* deseruit ad manifestandas propositiones obscuras, circa quam sequentes regulæ sequenti versu expressæ sunt, obseruandæ.

Præ contradic: post contra; præ postque subalter.

Prima regula. Ad hoc vt duæ contradictoriæ fiant *æquipollentes* debet præponi negatio, non, subiecto illius quam facimus *æquipollentem*, vt *omnis homo est animal*, aliquis homo non est animal, sunt contradictoriæ: cuiuscunq; istarum præponatur negatio, *æquiualeat* alteri, vt hæc; non *omnis homo est animal*, idem valet, ac *aliquis homo non est animal*: similiter hæc; non *aliquis homo non est animal*; *æquiualeat* isti: *omnis homo est animal*; & hoc signi-

548 *Institutiones Dialecticae,*

significatur hac particula; præ con-
tradictio.

Secunda regula: ut duæ contrariæ
fiant æquipollentes, negatio, non,
debet postponi subiecto eius quam
facimus æquipollentem; ut omnis
homo orat; nullus homo orat: cui-
cunq; istarum postponatur nega-
tio, æquiualeat alteri: idem enim
est: omnis homo non orat, ac nul-
lus homo orat: similiter idem est;
nullus homo non orat, ac omnis ho-
mo orat; & hoc significatur hac
particula; post contra.

Tertia regula. Ad hoc ut duæ sub-
alternæ fiant æquipollentes debent
apponi duæ negationes, vna ante
subiectum, alia post subiectum, ut
omnis homo est animal, aliquis ho-
mo est animal; cuicunq; apponan-
tur duæ negationes fiet æquipollens
alteri; idem enim est, non omnis
homo non est animal, ac aliquis ho-

mo

mo est animal: similiter, non aliquis homo non est animal, idem est ac omnis homo est animal, & hoc significant aliæ particulæ; præ post-que subalter. *Subcontraria* non possunt vlllo modo fieri æquipollentes: signa verò per quæ propositiones fiunt æquipollentes, sunt æquipollentia.

ARTICVLVS III.

Quid & quotuplex sit conuersio propositionum?

Resolutio prima. Conuersio est *transmutatio vnius extremi totalis in alterum extremum totale.* id est, est mutatio subiecti propositionis in prædicatum, & prædicati in subiectum, vt si dicas: nullus homo est lapis; nullus lapis est homo; vnde hæc posterior propositio dicitur conuertens; prior verò conuerfa

550 *Institutiones Dialecticae,*

uerfa. notitia conuersionis est sum-
mè necessaria ad artem syllogisti-
cam, quia media illa syllogismi im-
perfecti ad perfectos reducuntur.

Resol: 2. Conuersio est triplex,
scilicet simplex seu mutua; per ac-
cidens seu non mutua; & per con-
trapositionem, quæ etiam est mutua,
sed penes extrema finita & infinita.
Declaratur. *Conuersio simplex* est
transmutatio extremorum propo-
sitionis manente eadem quantitate
& qualitate; vt nullus homo est e-
quus; nullus equus est homo: Ali-
quis homo est animal; aliquod ani-
mal est homo. *Conuersio per acci-
dens* est transmutatio extremorum
propositionis mutata quantitate,
non verò qualitate; vt omnis homo
est animal. ergo aliquod animal est
homo. Nullus homo est lapis, ali-
quis lapis non est homo. *Conuersio
per contrapositionem*, est mutatio
præ-

prædicati in subiectum variatis terminis penes finitum ac infinitum; vt si dicas: omnis homo est animal; omne non animal est non homo. Ex quo patet quod hæc non est propriè conuersio, siquidem ibi non transferuntur extrema, sed potius auferuntur.

Resol: 3. Tres sunt regulæ conuersionum. *Prima*, propositio vniuersalis negatiua & particularis affirmatiua, conuertuntur simpliciter, vt nullus homo est arbor, aliqua arbor non est homo. *Secunda*, propositio vniuersalis affirmatiua conuertitur per accidens; potest etiam conuerti per accidens vniuersalis negatiua. exempla supra adduximus. *Tertia*, vniuersalis affirmatiua & particularis negatiua conuertuntur per contrapositionem. Quas regulas dialectici significant illis duobus carminibus

H.h

Sim-

552 *Institutiones Dialecticæ,*

Simpliciter fEcl conuerittur.

EuA per Acci

AstO per contra, sic fit conuersio
tota.

vbi notandæ sunt quatuor vocales
A. E. I. O. quæ inuentæ sunt ad si-
gnificandum istas quatuor proposi-
tiones. A. significat vniuersalem
affirmatiuam. E. vniuersalem ne-
gatiuam. I. particularem affirma-
tiuam. O. particularem negati-
uam iuxta alios duos versus.

Afferit A. negat E. sed vniuersa-
liter ambæ.

Afferit I. negat O. sed particula-
riter ambo.

QVÆSTIO VII.

*De propositione Modali, & Ex-
ponibili.*

Post considerationem proposi-
tionis simplicis superest pau-
cis

is agendum de propositionibus
Modali & Exponibili: sit ergo.

ARTICVLVS I.

*Quid & quotuplex sit propositio
Modalis?*

Resolutio i. Propositio Modala-
dalis est, in qua *prædicatum de-*
notatur inesse subiecto, cum modo quo
illi inest & conuenit. circa quam
definitionem nota, quod cum *modus,*
à quo propositiones sunt & dicun-
tur modales, sit *adiacens rei deter-*
minatio, vt definit S. Th. opusc. 40.
non agitur hic de omnibus modis:
alij enim sunt qui modificant extre-
ma propositionis, & tunc fiunt ter-
mini restricti, de quibus supra: alij
modificant significationem verbi, vt
Petrus currit lentè, sed nec de illis
agimus in præsentia, sed solum de
illis modis qui modificant ipsam.

554 *Institutiones Dialecticae,*

compositionem seu unionem prædicati & subiecti, à quibus propositio dicitur modalis, qui si auferantur, propositio remanens dicitur, de inesse, seu officians. Sunt autem quatuor tales modi scilicet, possibile; contingens, impossibile, necesse; & quia duo priores idem significant hic, id est, quod non repugnat esse: ideo tres remanent. modi correspondentes tribus materijs, scilicet, necesse naturali; impossibile, remotæ; contingens verò aut possibile contingentì.

Resol: 2. Propositio modalis est duplex, alia composita, quæ facit sensum compositum; alia diuisa, quæ facit sensum diuisum: sensus compositus propositionis modalis tunc fit, quando modus vnit extrema dicti secundum significata formalia pro eodem tempore; quod contingit, quando dictum subijci-
tur

tur & modus prædicatur, vt prædestinatum damnari est impossibile. Tūc autem est sensus diuisus, quando modus vnit extrema non secundum significata formalia, sed significatum formale prædicati vnit significato materiali ipsius subiecti, & consequenter pro diuerso tempore; quod contingit, quando modus interponitur partibus dicti; vt prædestinatum possibile est damnari, vel potest damnari, vel possibiliter damnatur.

Resol: 3. Quantitas propositionis modalis attenditur ex quantitate modi; adeoque illa vocatur vniuersalis, cuius modus est vniuersalis, licet dictum sit particulare; illa verò particularis, cuius modus est particularis, licet dictum sit vniuersale. modi autem vniuersales sunt Necessè & Impossibile, necesse quidem vniuersalis affirmatiuus;

H h 3

impos-

556 *Institutiones Dialecticae,*

impossibile verò vniuersalis negati-
uus: particularis verò affirmatiuus
possibile seu contingens: particu-
laris negatiuus, possibile non, seu
contingens non: quod dialectici
explicant his versibus:

Omnis necesse valet; Impossibi-
le, Nullus.

Possibile, quidam: Quidam non;
possibile non.

Quia vero dictum ipsum est verè
pars propositionis modalis, ideo ex
eius quantitate denominatur pro-
positio modalis secundum quid vni-
uersalis vel particularis; propter
quod illa cuius dictum est particu-
lare & modus vniuersalis, appella-
tur particularis de dicto & vniuersa-
lis de modo, id est secundum quid
particularis, simpliciter tamen vni-
uersalis, & è contra.

Ex dictis sequitur quomodo sit
iudicandum de qualitate harum
pro-

propositionum; sicut enim in propositione simplici affirmatio & negatio consideratur ex principali copula; sic in modali attenditur penes copulam qua modus enuntiatur de dicto, adeoque quando modus est negatus propositio modalis est absolute & in rigore negatiua, quamuis dictum sit affirmatum; & e contra: secundum quid tamen ex affirmatione vel negatione dicti dicitur affirmatiua vel negatiua.

Denique cum isti modi æquiua-
leant signis propositionum simplici-
um: ideo in propositionibus moda-
libus eadem reperiuntur proprieta-
tes, quæ in simplicibus; scilicet op-
positio, Æquipollentia & conuersio.
& idem debet proportionaliter ferri
iudicium de istis, ac de illis: unde
necesse & impossibile, sunt contra-
ria, & sic de alijs; & eadem regu-
læ expressæ in versu: præ contra-

dic, post contra, præ postque subalter, ad earum æquipollentiam observandæ sunt, cum hac tamen advertentia, quod in propositionibus modalibus tunc anteponitur negatio, quando negatur modus; tunc verò postponitur, quando negatur dictum: tunc autem anteponitur & postponitur, quando utrūq; negatur.

Circa conuersionem harum propositionum nota, ipsas conuerti ratione dicti, non verò ratione modi, ac proinde regulariter fit conuersio inuariato modo, iuxta regulas generales conuersionis; vt si dicas: omnis homo necessario est animal, ergo aliquod animal necessario est homo, & sic de alijs.

ARTICVLVS II.

*Quæ sint propositiones exponibiles,
& quot eius species?*

Re-

Resolutio 1. Illa propositio dicitur exponibilis, quæ facit sensum obscurum, ratione alicuius in ea inclusi; & ideo indiget exponi, per aliam propositionem clariorem, quæ dicitur exponens, alia verò exponibilis.

Resol: 2. Tres sunt species propositionis exponibilis, scilicet. Exclufiua, Exceptiua, & Reduplicatiua. Declaratur. *Propositio exclufiua* dicitur illa, quæ modificatur dictione exclufiua, seu termino significante exclusionem, quales sunt, solum, tantum, duntaxat, &c. si talis dictio applicetur subiecto, efficit totam propositionem absolutè exclufiuam; vnde excludit omnia alia subiecta à participatione prædicati, vt tantum homo est rationalis; quæ sic exponitur: homo est rationalis, & nihil aliud ab homine est rationale. Si autem dictio exclufiua appli-

H h §

cetur

cetur prædicato; tunc dicitur propositio de excluso extremo, & excludit à subiecto omnia alia prædicata, vt Angelus est tantum spiritus; quæ sic exponitur: Angelus est spiritus, & non est aliquid aliud. Aliquando tamen istæ dictiones exclusivæ non ita rectè applicantur, cui debent, scilicet subiecto vel prædicato, vnde ex antecedentibus & consequentibus colligendus est sensus; nunquam tamen excludunt ab illo, cui applicantur, ea quæ illud necessario concomitantur.

Propositio exceptiua est, quæ afficitur dictione exceptiuâ, vt præter, aut simili, & vocantur exceptivæ, quia aliquid ex aliquo communi distributo excipiunt: vnde non est propria exceptio, si non sit talis distributio; sicut in ista: homo est albus præter Petrum. Istæ propositiones optimè exponuntur, si loco dictionis

ditionis, præter, ponatur, excepto :
ista enim : omne animal præter ho-
minem est irrationale , sic bene ex-
ponitur : omne animal, excepto ho-
mine, est irrationale : vel per copu-
lam implicationis negatiuam ; vt
omne animal , quod non est homo ,
est irrationale.

Propositiō Reduplicatiua est, quæ
afficitur dictione reduplicatiuâ, qua-
les sunt, In quantum, quatenus,
quâ ratione, secundum quod, vt
sic, &c. vt Petrus in quantum homo
est rationalis : vocantur autem re-
duplicatiuæ, quia quasi duplicant
subiectum aut prædicatum. Possunt
autem istæ particule sumi vel speci-
ficatiuè, vel reduplicatiuè : tunc su-
muntur reduplicatiuè, quando re-
duplicant causam, cur prædicatum
conueniat subiecto, vt homo in
quantum rationalis est risibilis ; in
quantum albus, disgregat visum.

H h 6

Et

562 *Institutiones Dialecticæ,*

Et istæ optimè exponuntur per causalem, vt quia homo est rationalis, est risibilis; quia est albus, disgregat visum. Sumuntur autem specificatiuè, quando reduplicant rationem formalem, cui adæquatè conuenit prædicatum, quæ tamen non est causa eius; vt Ens, in quantum Ens, est obiectum Metaphysicæ; hic enim non significatur causa, sed natura, cui adæquatè conuenit prædicatum: & istæ non exponuntur per causalem, sed aliqualiter per conditionalem, vt si est Ens, est obiectum Metaphysicæ.

LI.

LIBER III.

De his, quæ spectant ad
tertiam mentis operationem,
quæ est discursus.

Quia argumentatione dirigi-
tur tertia mentis operatio,
ideo de illa hic agendum;
quia autem supra qu. 4. art. 4. di-
ximus, quid sit argumentatio, &
quæ eius species; ideo hic solùm
de præcipua eius specie, quæ est
Syllogismus, tractabimus.

QVÆSTIO I.

De Syllogismo & eius Divisionibus.

ARTICVLVS VNICVS.

*Quid & quotuplex sit Syllo-
gismus?*

Resol^o

Resol. 1. Syllogismus est Oratio
in qua quibusdam positis aliud
quiddam diuersum ab his, quæ posita
sunt, necessario accidit, eo quod hæc
sunt ita Aristoteles lib. 1. priorum
cap. 1. Sensus autem definitionis est,
quod Syllogismus ob medium, quod
in se habet, in quo vniuntur extre-
ma, in præmissis concludit vniionem
extremitatum inter se in conclusio-
ne, neque indiget aliquo termino in
conclusionem, quem non habeat in
præmissis. Exemplum sit in hoc
Syllogismo: omne corpus est sub-
stantia; omnis homo est corpus: er-
go omnis homo est substantia. vbi
vides tres propositiones, duas, quæ
sunt præmissæ inferentes tertiam,
quæ est conclusio; & in tertia vniun-
tur duo illa extrema, homo & sub-
stantia, eo quod in præmissis vnian-
tur cum medio, quod est corpus,
adeo vt qui concedit duas priores
pro-

propositiones, necessariò & quasi pondere quodam trahatur ad concedendam tertiam. vbi nota, quod in quolibet Syllogismo sunt tres propositiones, vt supra diximus, quæ dicuntur materia proxima syllogismi; & hæ tres propositiones debent constare ex tribus terminis, qui dicuntur materia remota, & vocantur medium, maius extremum & minus extremum. *Medium* bis in præmissis repetitur, & est ratio vnionis inter alios duos; *Maius extremum* est illud, quod in maiori jungitur cum medio. *Minus extremum* est illud, quod in minori propositione jungitur cum eodem medio.

Ref. 2. Syllogismus diuiditur ratione materiæ proximæ, in affirmatiuum & negatiuum; in categoricum & hypotheticum; in demonstratiuum, probabilem & sophisticium. Explicatur. *Affirmatiuus* est, cuius

566 *Institutiones Dialecticæ,*

cuius conclusio est affirmatiua. *Negatiuus* est, cuius conclusio est negatiua. *Categoricus* est, cuius omnes propositiones sunt categoricæ. *Hypotheticus* verò, cuius omnes vel saltem aliqua propositio est hypothetica. *Demonstratiuus*, qui & demonstratio dicitur, est qui componitur ex propositionibus necessariis. *Probabilis*, qui componitur ex probabilibus. *Sophisticus*, ex apparentibus veris, cum tamen sint falsæ. Solent etiam appellari, *Posterioristicus*, *Topicus*, & *Elenchus*, quia de illis agit Aristoteles in libris *Posteriorum*, *Topicorum*, & *Elenchorum*.

Ref. 3. Syllogismus ratione materiæ remotæ diuiditur in communem & singularem, siue expositorium. *Communis* est, cuius medium est terminus communis. *Singularis* verò est ille, cuius medium est terminus singularis, & dicitur *Expositi-*

1071150

torius, siue sensibilis demonstratio, quia ad sensum explicat vnionem extremorum inter se, propter vnionem, quæ percipitur eorum cum medio: & licet possit fieri in qualibet figura seruata affirmatione & negatione modorum; tamen tertia est magis idonea, quia medium in ea subijcitur, & est proprium termini singularis esse subiectum propositionis. Exemplum sit in hoc syllogismo: Petrus est albus, Petrus est currens, ergo aliquod album est currens. Vbi tamen nota, quod sicut in syllogismo communi, vt rectè concludat, medium debet verè esse commune & distributum, ita in syllogismo expositorio medium debet esse omnino singulare & incommunicabile: quod si contingat aliquod singulare esse communicabile multis, vt de facto est natura diuina, tunc habet rationem termini communis,

&

568 *Institutiones Dialecticæ,*

& syllogismus cuius erit medium, non erit propriè expositivus; sed æquivalerebit communi ex puris particularibus, ex quibus in quacunq; figura nihil sequitur, ex vi illationis, ut postea dicetur; unde nulla est consequentia huius argumenti: hæc essentia diuina est Pater; hæc essentia diuina est Filius. ergo in diuinis Filius est Pater.

QVÆSTIO II.

De Figuris & Modis Syllogismorum, earumq; regulis.

ARTICVLVS I.

Quot sint figurae Syllogismi, & quot earum modi?

NOta, quod figura syllogismi est apta dispositio terminorum secundum subiectionem & prædicationem. Modus verò est ordinatio pro-

propositionum secundum quantita-
tem & qualitatem; siue secundum
affirmationem & negationem, vni-
uersalitatem & particularitatem;
& hæc est forma syllogismi.

Ref. I. Tres tantum sunt figuræ
syllogismorum, scilicet prima, se-
cunda, & tertia. Declaratur. Nam
triplex potest esse combinatio medi-
cum extremis (in qua combinatio-
ne consistit ratio figuræ) adeoque
est triplex figura; nam medium vel
subijcitur in maiori, & in minori
prædicatur; & est prima figura; vel
in vtraque prædicatur; & est secun-
da figura: vel in vtraque subijcitur,
& est tertia figura, quod sequens
versus declarat.

Sub, præ prima. Secunda bis præ.
Tertia bis sub. Præter has tres figu-
ras non est admittenda quarta, quam
vocant Galeni, in qua medium præ-
dicatur in maiori, & in minori subij-
citur,

570 *Institutiones Dialecticæ,*

citur, quia tales syllogismi sunt reuera in prima figura, & in voce habent transpositas præmissas.

Ref. 2. In vnaquaq; figura sunt varij modi argumentandi vtilis; in prima quidem nouem, ex quibus quatuor primi sunt directi, alij quinque indirecti, sic dicti, quia in illis conclusio non est directa, siquidem in illa minus extremum concluditur de maiori, & sic efficit propositionem indirectam, quia inferius prædicatur de superiori. In secunda figura sunt quatuor modi. In tertia verò sex: omnes autem exprimuntur quatuor sequentibus versibus.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio,

x Baralipton, *indirecti prima*

Celantes, Dabitis, Fapesmo,

figura Frisefomorum.

Cesare, Camestres, Festino, Ba-

2da figura roco, Darapti,

Felapton, Disamis, Datisi, Bo-

cardo, Ferison.

Cir-

Circa quæ vocabula nota, quod quodlibet illorum constat tribus syllabis (aliæ enim si sint plures, ponuntur ratione carminis) prima significat maiorem, secunda minorem, tertia conclusionem. Denotat etiam quælibet syllaba quantitatem & qualitatem illius propositionis, cui respondet, per vocalem, ex qua conflatur, quæ sunt A. E. I. O. quarum significationem vide sup. lib. 2. q. 6. a. 3. Exemplum sit in primo modo primæ figuræ:

Bar omne animal est substantia:

Ba omnis homo est animal: ergo

ra omnis homo est substantia.

Exemplum, in primo modo indirecto primæ figuræ.

Ba omne animal est substantia:

ra omnis homo est animal: ergo

lipt Aliqua substantia est homo.

Nota etiam, omnes consonantes initiales istorum vocabulorum esse

B. C.

572 *Institutiones Dialecticæ,*

B. C. D. F. quid autem illæ signifi-
cent, sicut & illæ, S P. M. C. quæ
in medio quorundam vocabulorum
reperiuntur, explicabitur, quando
agetur de reductione syllogismo-
rum à modis secundæ & tertiæ figu-
ræ, & à modis imperfectis primæ,
ad perfectos eiusdem primæ figuræ.

Quæres: In quibusnam principijs
fundetur hæc ars syllogistica? Re-
spondeo: In duobus. Primum est:
Quæcunque sunt eadem vni tertio,
sunt eadem inter se: id est, quando
aliqua vniuntur perfectè & adæqua-
tè cum vno medio, necessariò vni-
untur inter se; & hoc principium
deseruit pro syllogismis concluden-
tibus affirmatiuè. Secundum est:
Quæcunque sunt eadem inter se
perfectè & adæquatè, si vnum illo-
rum distinguatur ab aliquo tertio,
necessariò & aliud distinguitur; &
hoc deseruit pro syllogismis con-
clu-

cludentibus negatiuè: & hæc principia sunt per se nota, quia fundantur in hoc principio naturaliter noto: Quodlibet est vel non est. Super ista duo fundantur alia duo valde vsitata, quæ distinguuntur tantum ab illis, per hoc, quod illa ordinantur ad esse, hæc verò ad prædicari: hæc autem principia sunt; Dici de omni, & Dici de nullo.

Dici de omni facit hunc sensum: Quicquid affirmatur de subiecto vniuersaliter accepto, affirmatur etiam de quocunque contento sub tali subiecto, vt quia animal affirmatur de homine vniuersaliter, affirmatur etiam de omni eo, cui competit esse hominem.

Dici de nullo, facit hunc sensum: Quicquid negatur de subiecto vniuersaliter accepto, negatur etiam de quocunq; contento sub tali subiecto, vt quia lapis negatur vniuersaliter
fali-

574 *Institutiones Dialecticae,*

saliter de homine, negatur etiam de omni eo, cui competit esse hominem. Ex his principijs probantur omnes syllogismi, & deriuantur regulæ ad iudicandum de bonitate consequentiæ in vnaquaque figura, quas subiicimus.

ARTICVLVS II.

Quenam sint regulæ communes trium figurarum?

NOta, quod regulæ ad bonum syllogismum requisitæ, quædam sunt generales pro omnibus figuris, quædam speciales pro singulis, hoc *prænotato* est.

Ref. I. Sex dantur regulæ generales ad iudicandum de bonitate consequentiæ in qualibet figura.

Prima est: Ex puris particularibus aut indefinitis nihil sequitur in quacunque figura: vnde non sequitur

tur

tur: aliquis homo est animal; aliquis equus est animal, ergo aliquis equus est homo; hoc tamen verum est ex vi illationis, aliàs enim ratione materiæ potest sequi; vt aliquod animal est substantia, aliquis homo est animal. ergo aliquis homo est substantia. ratio huius regulæ est, quia medium in aliqua saltem præmissarum debet distribui, vt sic perfectè possit coniungi vel disiungi ab extremitatibus, aliàs non darentur tunc, Dici de omni, & dici de nullo.

Secunda, Ex puris negatiuis nihil sequitur in quacunque figura, vnde non valet hæc consequentia: nullus homo est irrationalis: nullus equus est homo: ergo nullus equus est irrationalis. ratio huius est; quia ex hoc, quod aliqua duo distinguantur ab aliquo tertio, non sequitur ea distinguui aut identificari inter se.

Tertia, Si aliqua præmissarum

Ii

fue-

576 *Institutiones Dialecticæ,*

fuerit particularis, conclusio etiam debet esse particularis; & si aliqua præmissarum fuerit negatiua, conclusio etiã debet esse negatiua. ratio est, quia duę præmissę sũt quasi duę causę subordinatę respectu conclusionis; in causis autẽ subordinatis effectus sequitur debiliore, adeoq; & cõclusio debet sequi partẽ debiliorem.

Quarta, In conclusione non debet distribui aliquis terminus, qui non fuerit distributus in præmissis. ratio est, quia aliàs argueretur à non distributo ad distributum, & conclusio non sequeretur debiliorem partem: vnde non valet: omnis homo est animal; nullus homo est equus: ergo nullus equus est animal; quia ly animal distribuitur in conclusione, & non in præmissis.

Quinta, Medium sub ratione mediij non debet intrare conclusionem. ratio est, quia quilibet terminus bis poni-

ponitur in syllogismo, medium autem jam positum est bis in præmissis; ergo non poterit iterum poni in conclusione: poterit tamen aliquando intrare eam, si fiat etiam extremitas: ut omnis homo est animal: sed homo est homo. ergo homo est animal.

Sexta, Tam in medio, quàm in extremis, debent seruari & non variari proprietates terminorum, præter suppositionem, quæ causatur ex signis. ratio est, quia aliàs in syllogismo non essent tres termini tantum, sed plures, si esset diuersa suppositio, appellatio, æquiuocatio, &c. Hæ regulæ explicantur his versibus:

Partibus è puris sequitur nihil;
atque negatis:

Si qua negans præmissa præit vel
particularis,

Clausula sit similis: medio nec
clausula constet;

Sumendum semel est medium generaliter; at nil

Non prius acceptum generatim post ita sumas.

Ref. 2. Tres dantur regulæ speciales & propriæ cuilibet figuræ. *Prima est,* In quocunque syllogismo primæ figuræ directè concludente ex maiori particulari, nihil sequitur; quia medium in nulla præmissarum distribueretur. Ex minori etiam negatiua nihil sequitur; aliàs in conclusione maius extremum esset distributum, & tamen non esset distributum in præmissis. In syllogismis verò primæ figuræ indirectè concludentibus, potest esse maior particularis, & minor negatiua, nam cessant prædicti defectus, vt in *Fapesino & Frisefomodum.*

Secunda, Si in secunda figura ambæ præmissæ sint affirmatiuæ, nihil sequitur: quia cum medium in

vtra-

vtraque prædicetur, in neutra præmissarum distribueretur. Similiter maiori existente particulari nihil sequitur; quia aliàs maius extremum distribueretur in conclusione, cum in maiori non fuisset distributum.

Tertia, Si in tertia figura minor sit negatiua, nihil sequitur: quia maius extremum distribueretur in conclusione, cum tamen non fuisset distributum in maiori: similiter semper conclusio debet esse particularis, aliàs minus extremum distribueretur in conclusione, cum non fuisset distributum in præmissis. Hæ regulæ his versibus explicantur per prima figura.

Nec minor esto negans; nec maior particularis.

Pro secunda figura.

Maiorem poscit generalem schema secundum

Vna esto prothesis, conclusioque negata.

Pro

Pro tertia figura.

Aiens esto minor; conclusio particularis.

QVÆSTIO. III.

De Reductione Syllogismorum imperfectorum ad perfectos.

Reductio habet rationem proprietatis syllogismorum, quia ex varia dispositione terminorum & propositionum in syllogismis oritur, ut petant hoc vel illo modo reduci.

ARTICVLVS VNICVS.

Quid & quotuplex sit Reductio Syllogismorum?

Resol. 1. Reductio syllogismi est probatio, & declaratio bonitatis eius per alium syllogismum. Pro huius descriptionis intelligentia

ria nota, quod quamuis omnes modi supra enumerati sint boni, & consequentia in illis facta sit bona & necessaria, nec possit negari: quia tamen in alijs modis præter quatuor primos primæ figuræ (qui sunt clarissimi, & immediatè probantur per dici de omni, & dici de nullo) non ita apparet vis illationis: ideo inuenta est ars reducendi omnes tales modos ad quatuor primos, ita vt si quis negauerit consequentiam alicuius modi imperfecti, cogatur etiam illam negare in modo perfecto; & hæc ars vocatur Reductio.

Resol. 2. Reductio est duplex, ostensiuæ & per impossibile. Reductio ostensiuæ utitur duplici principio, scilicet conuersione alicuius propositionis; & transmutatione si opus est, vt scilicet maior mutetur in minorem, vel è contra; quia hæc reductio solum ostendit clariori modo

do

582 *Institutiones Dialecticæ,*

do posse disponi præmissas, vt sic euidentiùs sequatur conclusio absq; eo, quod aliqua propositio extrinsecè adducatur: & hoc fundatur in illo principio: Quicquid sequitur ad consequens, sequitur ad eius antecedens: constat autem, quod propositio conuersa est antecedens, & propositio conuertens est consequens, ac proinde quod sequitur ex conuertente, sequitur etiam ex conuersa. Reductio per impossibile fit deducendo aduersarium ad concedendum aliquod impossibile; si enim concedat maiorem & minorem argumenti, & neget consequentiam; cogetur concedere duas contradictorias simul esse veras: sed pro meliori intelligentia vtriusque reductionis.

Notandum primò, quod omnes modi syllogismorum incipiunt per vnã ex his quatuor litteris, B. C. D. F.

D. F. quæ indicant huiusmodi ordinem esse seruandum in reducendis tam modis aliarum figurarum, quàm etiam modis imperfectis primæ figuræ, ad quatuor primos modos perfectos; vt inspecta littera à qua initiatur modus, in quo syllogismus reducendus continetur; intelligatur statim talem syllogismum esse reducendum ad illum modum ex perfectis, qui habet eandem litteram initialem; vt Cesare ad Celarent, &c.

Notandum secundò, quod in medio modorum imperfectorum, reperitur aliqua vel plures ex his quatuor consonantibus, S. P. M. C. quarum hæc est significatio, vt S. significet propositionem indicatam per vocalem antecedentem esse conuertendam simpliciter, siue in totum. P. significet esse conuertendam per accidens, siue in partem.

M.

584 *Institutiones Dialecticæ,*

M. significet conuertendas esse præmissas, ita vt maior fiat minor, & minor fiat maior, seruatâ conuersione, quam aliæ litteræ petunt.

C. denique in medio vocabuli denotat illum modum, in quo reperitur, non posse reduci ostensiuè, sed tantum per impossibile, & hoc solum inuenitur in Baroco & Bocardo: quæ omnia significantur his^m versibus:

S. vult simpliciter verti; P. verò per Acci;

M. vult transponi. C. per impossibile duci.

His prænotatis reducamus ad Ferio, argumentum factum in Fapesmo, in quo reperiuntur ferè omnes consonantes hic assignatæ; P. quia sequitur post primam vocalem A, denotat maiorem, quæ est vniuersalis affirmatiua, esse conuertendam per accidens, id est, in particularem

affir-

affirmatiuam. S. quia sequitur post
secundam vocalem E, denotat mi-
norem, quæ est vniuersalis negati-
ua, esse conuertendam simpliciter.
Denique M, quæ est post duas voca-
les, denotat maiorem conuersam
debere esse minorem in argumento
reducto, & minorem conuersam de-
bere esse maiorem eiusdem argu-
menti: vnde hoc argumentum fa-
ctum in Fapesmo: omne animal est
substantia; nulla arbor est animal.
ergo, aliqua substantia non est ar-
bor. sic reducitur in Ferio: si maior
conuertatur per accidens, & minor
simpliciter, ac tandem inter se
transmutentur, & eadem inferetur
conclusio hoc modo: nullum animal
est arbor; aliqua substantia est ani-
mal. ergo aliqua substantia non est
arbor. & similiter de alijs; solum
nota in vocabulo Frisesomorum,
consonantem M, collocandam esse

ante.

586 *Institutiones Dialecticae,*

ante tertiam syllabam, sicut in Fa-
pesmo & Disamis, licet ratione car-
minis collocetur post tertiam; vnde
significat in illo modo transmutan-
das esse præmissas.

Reductio per impossibile fit,
quando assumendo contradictoriam
conclusionis negatæ, cum altera ex
præmissis concessis, fit syllogismus
perfectus concludens contradicto-
riam vel contrariam alicuius præ-
missæ concessæ; ac proinde cogitur
negans concedere duas contradicto-
rias simul veras: hæc fundatur in
hoc principio: *In bona consequentia
ex contradictorio consequentis sequi-
tur contradictorium antecedentis.*
Pro vnaquaque figura datur sua re-
gula.

Pro prima figura, si quis neget
consequentiam alicuius modi indi-
recti, oportet assumere contradicto-
riam conclusionis negatæ loco ma-
ioris,

ioris, & maiorem argumenti, cuius negatur consequentia, loco minoris; & tunc inferetur in conclusione contradictoria vel contraria alicuius propositionis ante concessæ; Excipitur tamen, Celantes, in quo minor fit maior, & contradictoria negatæ conclusionis fit minor.

Pro secunda figura seruetur maior argumenti, cuius negatur consequentia, & contradictoria conclusionis fit minor.

Pro tertia figura, seruiatur minor argumenti, cuius negatur consequentia, & contradictoria conclusionis negatæ, assumitur loco minoris. hæ regulæ explicantur his exemplis:

Maior fit minor, vt fit contradictio maior;

Excipe celantes, in quo conuertitur ordo.

588 *Institutiones Dialecticæ,*

Maiorem seruat, variatque secun-
da, minorem.

Tertia maiorem variat, seruatque
minorem.

Nota primò circa hanc reductio-
nem, quod semper seruatis his regu-
lis concluditur oppositum alicuius
præmissæ concessæ, licet non imme-
diatè, factâ conuersione simplici
conclusionis, quæ infertur de nouo :
quando autem concluduntur duæ
contrariæ simul veræ, possunt ex his
fieri contradictoriæ, vt patet.

Nota secundò, facile esse scire, in
quo modo ex perfectis sit argumen-
tum reductum per impossibile : ta-
men Dialectici adinuenerunt, qua-
tuor vocabula scilicet,

Nesciebatis, Odiebam, Letare,
Romanis.

In quibus obseruandum est, quod
primum vocabulum constans quin-
que syllabis, significat quinque mo-
dos

dos imperfectos primæ figuræ ordine seruato, id est, prima syllaba primū modum, secunda secundum, &c. aliud vocabulum constans quatuor syllabis, significat ordine eodem quatuor modos secundæ figuræ; Alia duo vocabula constantia sex syllabis, significant sex modos tertiæ figuræ. Insuper videndum est, quænam ex his vocalibus A. E. I. O. reperiatur in illa syllaba, quæ correspondet cuilibet modo; illa enim vocalis significat, talem modum reducendum esse ad illum ex quatuor perfectis, cuius conclusio significatur per illam vocalem, A. significat conclusionem in Barbara, vniuersalem affirmatiuam. E, vniuersalem negatiuam in Celarent; I, particularem affirmatiuam in Darij. O, particularem negatiuam in Ferio. Alij idem explicant hoc versu:

590 *Institutiones Dialecticæ,*

Phæbifer axis, obit terras, sphe-
ramque quotannis.

QVÆSTIO IV.

De Inventione mediij.

ARTICVLVS VNICVS.

*Quæ sit ars inueniendi medium
ad argumentandum?*

Difficilis est hæc ars, vnde illam
Sophistæ pontem asinorum
vocarunt, tamen à Dialecticis in-
uenta sunt aliqua vocabula, quæ
eam reddunt faciliorem, & conti-
nentur his versibus:

Fecana, Cageti, Dafenes, Hebare,
Gedaco,

Bageli, Hebaro, Fecani, Dafeno,
bene constant;

Nunquam constabunt tria, Feb-
bas, Heddas, & Heccas.

Circa quas nota primò, quædã viti-

ma vocalis denotat, quæ conclusio
in quodlibet vocabulo possit inferri,
A. vniuersalem affirmatiuam. E.
vniuersalem negatiuam; I. particu-
larem affirmatiuam. O. particula-
rem negatiuam. Præter vltimam
dantur in quodlibet vocabulo (ex-
ceptis tribus vltimis) duæ vocales,
A. & E. Ex quibus A. significat
prædicatum, E. verò subiectum pro-
positionis. Denique in istis vocabu-
lis inueniuntur sex consonantes, ex
quibus tres, scilicet B. C. D. con-
comitantur A. Iy B. significat ter-
minum consequentem prædicatum
denotatum per A. C. verò signifi-
cat terminum antecedentem prædi-
catum. D. terminum repugnantem
prædicato. Tres verò aliæ conso-
nantes concomitantur E, nimirum
F. G. H. Ex his F. significat termi-
num consequentem subiectum de-
notatum per E. G. verò terminum

592 *Institutiones Dialecticae* ;

antecedentem subiectum ; H. terminum repugnantem subiecto, juxta hos versus :

Prædicat A. Sequitur B. Præco
C. D. repugnat.

Subiectum E. sequitur F. G. præco,
H. que repugnat.

Vnde si sit concludenda, hæc vniuersalis affirmatiua, omnis homo est substantia, assumendum est vocabulum Fecana, cuius vltima syllaba desinens in A. denotat in ipso debere fieri hanc conclusionem. In qua reperitur assumendum esse pro termino medio aliquem terminum consequentem subiectum, quod denotatur per F. coniunctum cum E. qui terminus antecedit prædicatum, quod significatur per C. coniunctum cum A. in secunda syllaba. (dicitur autem terminus consequens, qui ex alio infertur ; antecedens verò, qui alterum infert)
assu-

assumatur igitur animal, quod antecedit substantiam, quæ est prædicatum, & consequitur hominem, qui est subiectum, & sic probabitur hoc pacto: omne animal est substantia; omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia, & sic de alijs. Ista autem tria vocabula, Febbas ad concludendam vniuersalem affirmatiuam ex medio consequente, tam subiectum, quàm prædicatum. Heddas importans medium, repugnans tam prædicato, quàm subiecto; & Heccas assumens medium, repugnans subiecto, & antecedens prædicatum, sunt modi inutiles.

QVÆSTIO V.

De Locis argumentandi probabilibus & apparentibus.

Non agimus hic de syllogismo demonstratiuo, nam actum est



594 *Institutiones Dialecticæ,*

de eo cum Aristotele in libris posteriorum, sed paucis solum de syllogismo opinatiuo & sophistico, de quibus ille in libris Topicorum & Elenchorum tractat.

ARTICVLVS I.

De Locis argumentandi probabiliter.

LOci Dialectici vocantur sedes, vnde eruuntur argumenta. Loci verò alij sunt interni, alij externi.

Primus internus est à Definitione, tam ad confirmandum, quàm ad refellendum, vt omne animal rationale est risibile: omnis homo est animal rationale. ergo omnis homo est risibilis. Fundatur autem iste locus in hoc dicto: cui competit definitio, competit & definitum. Ad istum reuocatur locus à definito ad definitionem, quia vice versa, cui

COM.

competit definitum, competit & definitio. Ad hunc etiam reuocatur locus à differentia, vt est particeps rationis; ergo est homo. Non est particeps rationis: ergo non est homo. E contra; est homo, ergo est particeps rationis. ratio est, quia de quo dicitur differentia specifica, de eo dicitur species, & è contra. hic locus potest etiam deseruire argumento demonstratiuo, si definitio sit essentialis.

Secundus locus est ab Ethimologia nominis; dummodo conuertatur cum ipso nomine; vt amator sapientiae debet viuere secundum virtutem: sed Philosophus est amator sapientiae: ergo Philosophus debet viuere secundum virtutem.

Tertius locus est à genere, siue à superioribus attributis ad inferiora probanda; vt omne animal sentit: omnis homo est animal: ergo omnis

K k

homo

homo sentit. vel è contra à specie
ad genus ; vt homo ambulat : ergo
animal ambulat.

Quartus locus est à coniugatis :
coniugata autem sunt, quæ constant
ex verbis eiusdem generis , & quæ
ab vno deriuata inter se variantur ,
vt iustitia est virtus ; ergo iustus est
virtuosus.

Quintus locus est à partibus ad
totum , & è contra ; vt Cœli, Ele-
menta, &c. mouentur : ergo mun-
dus mouetur ; nota tamen , quod
omnes partes debent simul sumi.

Sextus locus est à forma ad effe-
ctum : vt habet animam rationalem :
ergo est homo : quia posita forma
ponitur effectus , & illa sublata au-
fertur effectus. vel ab effectu ad cau-
sam formalem ; vt est homo , ergo
habet animam rationalem. similiter
valet ab alijs causis ad effectus ; & è
contra. hic etiam potest seruire de-
monstrationi. Se-

Septimus locus, qui ferè non differt à præcedenti, est ab antecedentibus & consequentibus; vt est admiratiuus; ergo est risibilis; & è contra. item est sophista; ergo fallax.

Primus locus externus est à contrarijs, quæ sunt in quadruplici differentia; scilicet aduersa, contradictoria, priuatiua & relatiua. Ab aduersis, vt est nigrum; ergo non est album. A contradictorijs; vt ista propositio est falsa; aliquis homo est arbor; ergo alia est vera, nullus homo est arbor. A priuatiuis; vt est cæcus; ergo non videt. A relatiuis, vt in Diuinis est Filius; ergo est Pater.

Secundus locus est à comparatis: sed multipliciter diuiditur; vnde vel est à simili, vel à dissimili, vel à maiori ad minus, vel à minori ad maius, vel à pari. A simili; vt quod est oculus in corpore, id est intellectus in

598 *Institutiones Dialecticae,*

in anima : sed corpus videt oculo ;
ergo etiam anima videt intellectu.
A dissimili : vt inimici procurant sibi
nocere ; ergo amici procurant sibi
placere. A maiori ad minus : vt iste
fert pondus decem librarum ; ergo
potest ferre pondus quinque. A mi-
nori ad maius ; vt puer portat hoc
pondus ; ergo vir robustus potest
portare. A pari : vt iste suspenditur
propter furtum ; ergo & ille pro-
pter furtum debet suspendi.

Tertius locus est à testimonijs.
Qui locus tantam habet authorita-
tem, quantam veritatem habet testi-
monium dicentis ; vnde si dicens
non possit non dicere verum , iste
locus est validissimus ; vt Deus hoc
in Sacra Scriptura dicit ; ergo ita
est. Testimonia autē humana va-
lent juxta authoritatem
dicentis.

AR-

ARTICVLVS II.

De Fallacijs Sophistarum.

Syllogismus sophisticus est ille, qui ex his, quæ videntur probabilia, nec sunt, colligit conclusionem apparentem. Fallacia autem, vel est in ipsa voce, & dicitur fallacia in dictione: vel est in re significata, & dicitur fallacia extra dictionem. Fallacia in dictione est multiplex.

Prima est fallacia æquiuocationis propter vnitatem vocis cum multiplicitate significationis: vt omnis canis est latrabilis: quædam constellation est canis; ergo quædam constellation est latrabilis.

Secunda est fallacia Amphibologie, quæ accidit ex ambiguitate sententiæ: vt omnes Episcopi sunt Sacerdotes: sed isti boues sunt Episcopi; ergo isti boues sunt Sacerdotes.

600 *Institutiones Dialecticae,*

ly Episcopi, in maiori ponitur in-
recto, in minori autem in genitiuo.

Tertia est fallacia accentus, quæ
accidit pro varietate accentus, vt
omnis ara est in templo: sed stabu-
lum est hara; ergo stabulum est in
templo.

Quarta est fallacia figuræ dictio-
nis, quæ prouenit ex similitudine
duarum dictionum: vt digitos, quos
olim habebas, nunc habes: sed olim
habebas digitos paruos; ergo nunc
etiam habes digitos paruos.

Quinta est fallacia diuisionis, &
compositionis; quando scilicet à
sensu diuiso procedimus ad sensum
compositum, vel è contra; vt præ-
destinatum possibile est damnari:
quod est verum: ergo prædestina-
tatum damnari est possibile: quod
est falsum. Sequuntur nunc fallaciæ
extra dictionem.

Prima fallacia extra dictionem
est

est accidentis, & fit, quando id, quod
attribuimus accidenti, attribuimus
etiam subiecto: vt homo est albus
albedine accidentali; ergo homo
est accidentalis.

Secunda fallacia est à secundum
quid ad simpliciter; vel è contra;
& fit, quando argumentamur à ter-
mino, qui supponit secundum quid,
ad terminum simpliciter; vel è con-
tra; vt Æthiops est albus secundum
dentes; ergo Æthiops est albus.

Tertia fallacia est ignorationis
Elenchi. Elenchus autem est Syllo-
gismus contradictorius; id est, quan-
do ex concessis colligitur contradi-
ctio. Ista autem fallacia accidit,
quando videtur colligi contradictio,
& reuera non colligitur; vt Petrus
heri cœnauit, & hodie non cœnauit;
ergo cœnauit & non cœnauit.

Quarta fallacia est petitionis
principij, quando scilicet probatur

con-

conclusio per ipsammet conclusio-
nem sub alijs verbis.

Quinta fallacia est consequentis,
quando scilicet argumentamur à
termino consequenti ad terminum
antecedentem, quod fit dupliciter:
Primò, quando ex affirmatione ter-
mini consequentis inferimus ante-
cedentem; vt est animal, ergo est
homo. Secundò, quando ex nega-
tione termini antecedentis, nega-
mus consequentem, vt non est ho-
mo, ergo non est animal. Cessat
autem fallacia, si tales termini sint
simul mutuò antecedens & conse-
quens. Hæc fallacia sæpè contingit,
quando ex contradictorio antece-
dentis videtur colligi in argumento
contradictorium consequentis; vt
si currit, mouetur; ergo si non cur-
rit, non mouetur.

Sexta fallacia est non causæ vt
causæ, & est, quando falsitas conse-
quen-

quentis attribuitur alicui præmissæ,
quæ reuera non est causa ; vt pro-
pter studium vel pecuniam commit-
to imperfectiones : ergo studium &
pecuniæ auferendæ sunt.

Septima & vltima fallacia est plu-
rium interrogationum, ad quas non
potest responderi vnicâ responsio-
ne; vt homo & lapis suntne animal ?
Hæc de Summulis, quæ vtinam
cedant ad laudem DEI, Beatissimæ
Virginis MARIE, Dominæ & Pa-
tronæ nostræ, S. Thomæ Aquini-
natis, Omniumq; San-
ctorum hono-
rem,

IN

J N D E X.
DISPUTATIONUM
ET QUÆSTIONVM,
Quæ in hoc Opere continētur.

J N L O G I C A M.

<i>Disputatio</i>	1. <i>Proæmialis.</i>	<i>fol. 1.</i>
<i>Disput.</i>	2. <i>De Ente Rationis.</i>	9.
<i>Disput.</i>	3. <i>De Vniuersali.</i>	19.
<i>Disput.</i>	4. <i>De Prædicabilibus.</i>	26.
<i>Disput.</i>	5. <i>De Analogia.</i>	44.
<i>Disput.</i>	6. <i>De Diuisione Entis in inferiora.</i>	49.
<i>Disput.</i>	7. <i>De Prædicamentis.</i>	59.
<i>Disput.</i>	8. <i>De requisitis ad demonstrationem.</i>	96.
<i>Disput.</i>	9. <i>De essentia, & diuisionibus demonstrationis.</i>	102.
<i>Disput.</i>	10. <i>De scientia, quæ est effectus demonstrationis.</i>	107.
<i>Disput. ult.</i>	<i>De alyis habitibus intellectualibus.</i>	114.

DE

DISPUTATIONVM.
 DE OCTO LIBROS
 PHYSICORUM.

Disput.	1. Proæmialis.	126.
Disput.	2. De principijs rerum naturalium.	129.
Disput.	3. De materia prima.	133.
Disput.	4. De forma subst.	141.
Disput.	5. De priuatione.	147.
Disput.	6. De naturali cõposito.	149.
Disput.	7. De natura, & arte.	154.
Disput.	8. De causa.	158.
Disput.	9. De causa materiali, & formali.	160.
Disput.	10. De causa efficiente.	161.
Disput.	11. De instrumentis.	169.
Disput.	12. De fine.	173.
Disput.	13. De motu.	176.
Disput.	14. De infinito.	180.
Disput.	15. De loco.	189.
Disput.	16. De vacuo.	207.
Disput.	17. De tempore.	210.

Di.



I N D E X

- Disput.* 18. *De prædicamentis, ad
 que datur per se motus.* 216.
Disput. 19. *de unitate specifica &
 numerica motus.* 220.
Disput. 20. *De compositione conti-
 nui.* 224.
Disput. 21. *De modo inceptions, &
 desitionis rerum.* 230.
Disput. 22. *De termino rerum nat-
 uralium.* 238.
Disput. 23. *De distinctione, & ap-
 proximatione requisita inter mo-
 uens, & mobile.* 243.
Disput. 24. *De eternitate mun-
 di.* 249.

I N L I B: D E C O E L O.

- Diss.* *Unica de natura & essentia Cœ-
 li.* 260.
In lib. de generat. & corruptione.
Diss. 1. *De generat. subst.* 269.
Disput. 2. *de corruptione substan-
 tiali.* 282.
Diss.

DISPUTATIONVM

- Disput. 3. De alteratione. 287.
Disput. 4. De nutritione. 302.
Disput. 5. De augmentatione. 308.
Disput. 6. De condensatione, & rarefactione. 314.
Disput. 7. De actione, & reactione. 318.
Disput. 8. Mixtione. 329.
Disput. 9. De Elementis. 331.

DISPUTATIONES

In tres libros Arist de Anima.

- Disput. 1. Proœmialis. 338.
Disput. 2. De quidditate anima, & eius definitione. 339.
Disput. 3. De secunda anima definitione. 348.
Disput. 4. De diuisione anima. 350.
Disput. 5. De diuisibilitate, & indiuisibilitate animarum. 357.
Disput. 6. De anima quoad suam informationem. 361.
Disput. 7. De potentijs anima. 365.
Disp-

I N D E X

- Disput. 8. De anima vegetatiua. 370.*
*Disput. 9. De anima sensitua, & de
sensibus externis in communi 372.*
Disput. 10. De sensibus internis. 383.
*Disput. 11. De anima rationali secun-
dum se. 392.*
Disput. 12. De intellectu possibili. 395.
*Disput. 13. De speciebus intelligibili-
bus, & de sensibilibus. 399.*
Disput. 14. De intellectu agente. 410.

J N A R I S T O T E L I S Methaphysicorū libros.

- Disput. 1. De obiecto. 418.*
*Disput. 2. De natura Entis, & de
essentia, existentia, & supposito. 421.*
Disput. 3. De passionibus entis. 448.
*Disput. 4. De Vno, & de principio in-
diuiduationis. 451.*
Disput. 5. De Vero. 458.
Disput. 6. De Bono. 475

A P P E N -

I N D E X

APPENDIX BREVIS

Ex Summulis. 479.

In librū primum summu-
larum.

*Questio 1. De signo & eius diuisio-
nibus. 481.*

*Questio. 2. De natura termini &
eius diuisionibus. 487.*

*Questio 3. De proprietatibus termi-
norum. 498.*

In librū secūdū sūmularū.

Questio 1. De nomine. 516.

Questio 2. De Verbo. 518.

Questio 3. De oratione. 521.

Questio 4. De modis sciendi. 523.

Questio 5. De propositione. 534.

*Questio 6. De proprietatibus propo-
sitionum. 541.*

*Questio 7. De propositione modali &
exponibili. 552.*

In.

INDEX QVÆST.

In librū tertium summu-
larum.

- Quaestio 1. De syllogismo & eius divi-
sionibus. 563.
Quaestio 2. De figuris & modis syllo-
gismorum, earumq; regulis. 568.
Quaestio 3. De reductione syllogismo-
rum imperfectiorū ad perfectos. 580.
Quaestio 4. De inuentione mediij. 590.
Quaestio 5. De locis argumentandi
probabilibus, & apparentibus. 593.

F I N I S.





Ex libris Tsch...

Nr. L 12



1072

KK

Calendarium

novissimum

Antiquissimum

Appropinquans

brevis est

sanctissima gens


innotescit per hunc

diadema

ca







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

Black

3/Color

CALENDARIUM
MEDICTINVM
Id est
TENTIÆ SELE-
CTÆ
X LIBRIS
Venerabilis Patris
IDOVICI BLOSII,
sterij Lætiensis, Ord.
nediçi in Hannonia
ABBATIS,
OLLECTÆ
&
Singulis totius anni
diebus
STRIBUTÆ,
Facultate Superiorum.
ALISBURGI,
JOANNIS BAPTISTÆ
R, Typographi Au-
ci & Academici,
1664.